57	15	tam indigna	indigniora
	17	agentur	aguntur
	28	iactatur	iactat
59	11	vnius	vnus
60	26	neceſſarium	neceſſariam
61	11	littere	litera
62	7	pretea	preterea
	8	multati	mulctati
	14	accrecere	accreſcere
69	5	tamen	tamen eſſet Archipreſbyter
68	17	via	vita
	27	curarant	curarunt
82	19	libent	debet
73	6	eas	eos
74	1	infamatos	infamatos
77	2	abs	abſque
80	16	mumeris	muneris
83	18	pollitici	politici
84	9	qualis	quales
	12	operet	oportet
86	12	catholici	catholico
90	11	apoſtolico	apoſtolo
95	7	afferetur	afferreretur
96	16	crimine	ruinæ
	18	amiſerint	amiſerunt
98	20	petitus vt tractum	petitis vt tractatū
101	4	quam	quæ
103	9	defenſione	defenſionem
105	6	preceſſus	proceſſus
111	30	mutuæ	mutua
112	12	reſpdoere	reſpondere
113	24	delationem	dilationem
114	31	ab	ob
117	29	ſcientes	ſentientes
122	7	qui	quibus
123	20	nobis	vobis
124	18	diſperent	deſperent
126	14	vitiate	vitiata
127	9	conſtitat	conſtituat
129	11	ablectamentis	oblectamentis
130	29	aut progreſſus	aut virtutum progreſſus
132	26	parentela	parentelæ
133	29	diſplicentia	diſplicentiam
134	19	cnm vltro	cum ſe vltro

57	15	tam indigna	indigniora
	17	agentur	aguntur
	28	iactatur	iactat
59	11	vnius	vnus
60	26	neceſſarium	neceſſariam
61	11	littere	litera
62	7	pretea	preterea
	8	multati	mulctati
	14	accrecere	accreſcere
69	5	tamen	tamen eſſet Archipreſbyter
68	17	via	vita
	27	curarant	curarunt
82	19	libent	debet
73	6	eas	eos
74	1	infamatos	infamatos
77	2	abs	abſque
80	16	mumeris	muneris
83	18	pollitici	politici
84	9	qualis	quales
	12	operet	oportet
86	12	catholici	catholico
90	11	apoſtolico	apoſtolo
95	7	afferetur	afferreretur
96	16	crimine	ruinæ
	18	amiſerint	amiſerunt
98	20	petitus vt tractum	petitis vt tractatū
101	4	quam	quæ
103	9	defenſione	defenſionem
105	6	preceſſus	proceſſus
111	30	mutuæ	mutua
112	12	reſpdoere	reſpondere
113	24	delationem	dilationem
114	31	ab	ob
117	29	ſcientes	ſentientes
122	7	qui	quibus
123	20	nobis	vobis
124	18	diſperent	deſperent
126	14	vitiate	vitiata
127	9	conſtitat	conſtituat
129	11	ablectamentis	oblectamentis
130	29	aut progreſſus	aut virtutum progreſſus
132	26	parentela	parentelæ
133	29	diſplicentia	diſplicentiam
134	19	cnm vltro	cum ſe vltro

RELATIO COMPENDIOSA TVRBARVM

quas Ieſuitæ Angli, vna cum *D. Georgio Blackwello* Archipresbytero, Sacerdotibus Seminariorum populoq; Catholico cõciuêre ob ſchiſmatis & aliorum criminum inuidiam illis iniuriosè impactam ſacro ſanctæ inquiſitionis officio exhibita, vt rerum veritate cognitâ ab integerrimis eiuſdem iudicibus lites & cauſæ diſcutiantur & terminentur.

Iudica me deus & diſcerna cauſam meam.

Pſal. 42.

BIBL. CANT. ACAD.

Rothomagi, per Iacobum Molæum ſub ſigno Phœnicis.

1242 : 97

Ad Illmos & Rmos DDos Sacro-sanctæ Inquisitionis Præsides.

CVm multa sint Illmi ac Rmi viri quæ vestrum illud Tribunall multis nobis nominibus commendent, tum nihil æquè ac iudiciorum summa & singularis integritas, quã magna cum vestra laude, & multis sępe in causis declaratam qui ignoret, vosque cognouerit esse neminem existimamus. Hæc constans æquitatis vestræ, aliarumq; virtutum fama effecit, vt nos tam longo terrarum marisq; interuallo dissiti, nostris vos literis ac lamentis appellemus, opẽ fidemq; vestram implorantes, vt causis ac controuersijs nostris cognitis, authoritate vestra quã apud omnes maximi fore non dubitamus, grauissimas dissentiones quæ triennium aut eò amplius quamplurimũ efferbuerunt, communi tandem Ecclesiæ nostræ bono componatis ac terminetis.

Plurimæ quidem sunt, eæque longè grauissimæ, quas ob fidei Catholicæ defensionem patimur, accedunt tamẽ his publicis multò nobis grauiores erumnæ. Edidit nimirum infra biennium sacerdos quidam societatis Iesu nomine Listerus libellum quendam mirifice turbulentum, in quo nos schismatis, &

aliorum criminum poſtulat,& inſimulat. Quę omnia tum Archipresbyter, quem Ieſuitæ nobis inſcijs ad eundem dignitatis gradũ evehendum curarunt, tum etiã P. Henricus Garnetus ſocietatis in Anglia Prouincialis, ſuis ſcriptis comprobarunt. Addidit inſuper poſtea (quod & D. Archipresbiter confirmauit) alius quidam eiuſdem ſocietatis ſacerdos nomine Ions omnes illos eccleſię cenſuras incurrere qui nos ſchiſmatis reos non fuiſſe dogmatizando aſſererent. Atque vtinam nos tantum in his ſalebris hereremus; vtinam & dominicum gregem his criminibus non conſcinderent, id quidem certè paulo tollerabilius eſſet; ſed (proh dolor & pudor) latius hoc malũ ſerpſit, altius caput extulit ad infirmorum ſcandalum, ad piarum animarum laqueum,& (quod horrent animi meminiſſe) ad multarum conſcientiarum graue tormentũ; ij etenim, qui tam atrocibus in nos coniectis criminibus non credentes nos nihiloſecius in ſuas ipſorũ domus & a nobis ſacramenta receperunt, a cæteris, ac ſi anathemate perculſi eſſent, fugiebantur, & arcebantur a diuinis, ita vt laici cum laicis conuerſari, & Presbiteri ſacramenta alijs Presbiteris vel etiam laicis miniſtrare renuerent, niſi, qui presbiteri erant, de ſciſmate ſe vellent accuſare,& laici nos,& cõſortium noſtrum deſerere, & derelinquere ſtatuerẽt. Quid hic nobis & illis, qui ſuas animas noſtræ fidei, ac curæ commiſerunt, agendum erat? Quam varie Ill^mi & R^mi viri putatis illorum animos affectos,& afflictos? Seueriſſimas hinc legum pænas ſentientes ob hoſpitium, opem, eleemoſinas aut alia ad vitæ ſuſtentationẽ nobis exhibita, inde vero cernentes famam

ſuam

ſuam & patrum ſuorum ſpiritualium grauiſſimis lacerari calumnijs continuis nos petitionibus fatigabant, vt ob quietem, & tranquillitatem conſcientiarum, quæ nobis concreditæ erant, nec non ipſorum, atq; famæ etiam noſtræ defenſionem, veritatem cauſæ noſtræ proponeremus, & demonſtraremus.

Vt igitur vniuerſa cauſa, & controuerſia ab Ill^mis, & R^mis D^nibus veſtris melius intelligatur, Originem eius, literas Ill^mi Cardinalis Caietani B.M. per quas Archipresbyter noſter titulum hunc, atque authoritatem ſuam accepit, rationes, quibus nixi his literis non paruimus antequam ad nos tranſmiſſum eſſet Breue Apoſtolicum in earum confirmationem, vna cum tractatu prędicto de ſciſmate, humilima petitione noſtra, ac conditionibus, quibus cauſæ diſcuſſionem, & controuerſiarum abſque vrbis, & orbis ſcandalo deciſionem inter nos fieri efflagitauimus, alijsque ad cauſam hanc pertinentibus, & ſcitu neceſſarijs iudicijs veſtris ſubijcimus, obnixè orãtes vt D^nes veſtræ controuerſia compoſita concordes nos denuo pacatoſque reddant. Neque quę de ſocietate hic dicentur in vniuerſam ſocietatem dicta velimus, cui tantum tribuimus quantum eius virtus, & doctrina poſtulant: Hic tantum particulares quorundam actiones cõquerimur, qui extra ſepta degẽtes maximas in regno noſtro controuerſias excitarunt, & nos qui priores hic laborauimus, atque illis catholicorum amorem, beneuolentiam, & authoritatem conciliauimus opprimere iam ſatagunt, ijſdem rebus ad noſtram infirmandam, & eleuandam famam abutentes, quas nobis authoribus & adiutoribus ſunt cõſecuti.

Quod autẽ ad nos ſpectat illud velimus ſciatis, quod quicquid ab Illmis D.nibus veſtris ſtatutũ decretumve fuerit, id omnes æquanimiter amplectemur; Deum interim quam humiliter obſecrantes, vt illum vobis ſpiritum infundat, qui vos in veritate diſcutienda adiuuet, & toti ſuæ Eccleſiæ quã diutiſſimè incolumes conſeruet.

Illmis Dnibus

Vris.

Addictiſſimi, qui in Anglia pro fide
Laborantes ſchiſmatis ſunt accerſiti.

Origo & progreſsio præſentum turbarum quæ inter Ieſuitas, & ſacerdotes cum haud mediocri ſcandalo exiſtunt.

TRibus abhinc plus minus annis graues iſtæ & hinc noſtræ Eccleſiæ perquã infeſtæ turbæ, quæ ex carcere Wisbicenſi primum emerſæ vniuerſam hanc inſulam confeſtim moleſtarunt, ex præpoſtera, præcipitique dominandi cupiditate primordia ſumpſerê. Quidam enim per id tempus cuſtodia aſſeruati vehementi contentione laborarunt, vt presbyterum ſocietatis Ieſu (cui inſtituto ſe totos ipſi addixerant) cæteris, quos idem carcer condidit, ſacerdotibus ſuperiorem præficerent. Cæterum illi pietate, doctrina, ac ætate conſpicui viri ab Eccleſiæ vſu alienum id eſſe contendentes novis hiſce, ac ambitioſis conatibus continuò reſtitêre. Hinc magnæ offenſiones, hinc tota controuerſia primulùm emanauit, quam cæteri per Angliam Ieſuitæ, eorumque fautores poſtea nutriuerunt obnixè, & ſeriò contendentes, vt omnium illic rerum adminiſtratio ad vnius Ieſuitæ arbitriũ deferreretur, ad cuius voluntatẽ cæteri ibidem ſacerdotes ſeſe accommodarent. Quod ipſemet etiã ſocietatis per Angliã Prouincialis pugnaciſſimè

Hæc omnia luculentius expoſita ſunt in tractatu S.D.N. exhibito.

naciſſimè defendebat, cum quidã ex antiquiſſimis noſtris ſacerdotibus ſermonem ea de re cum illo haberet. Nos autem, non ſine cauſa metuentes ne per totam poſtea Inſulam conſimile molirentur, vna cum compresbyteris noſtris gliſcẽti huic audaciæ nos interpoſuimus. Hinc emanauit in vulgus nos irregulariter viuere, diſciplinam renuere, authoritatem & ordinem detrectare. Quam noſtris nominibus ad ſperſam calumniam tanquam ſoli nebulam diſpellere cupientes, extemplo rationẽ nobiſcum inire cæpimus, quonam tandem modo Eccleſiæ hic laborantis, & labentis ſtatui fructuosè proſpiceretur. Cogitantibus autem nobis ac omnia memoriâ repetentibus, illud regimen meritò præcipuum viſum eſt, ſub quo vniuerſa Chriſti Eccleſia tam in pace, quam ſub perſecutione iam inde ab Apoſtolorũ temporibus filo quaſi perpetuo fęliciter eſt propagata. Quod communibus ſuffragijs promouere, ſediſque Apoſtolicæ iudicio, & authoritati offerre dum conaremur, conſilij noſtri rumor ad Ieſuitas Anglos cũ hic, tum alibi agẽtes perlatus eſt. Quę res tam inſignitèr eos perculit, vt omni prorſus abiectâ morâ huic noſtro inſtituto occurrendum ſtatuerent, veriti nimirũ ne principatus, quem plena iam ſpe deuorauerant, è ſuis ipſorum manibus elaberetur, ſi communibus noſtris votis ſua S^tas aſſentiens ex noſtra electione ſuperiorem conſtitueret.

P.itaq; Parſonus, qui tum Romæ agebat rerum ſuarum ſatagens, nos per nuncios admonuit, vt propoſito noſtro de ſuperiore conſtituendo tanquam re factioſa, & prẹſenti rerum ſtatui pernnicioſa omnino

deſiſte-

desisteremus. Et ipse D. Blackwellus prædictum nostrum propositum & intentionem suis scriptis perstrinxit & contendit non vnius hominis, vel paucorum esse totius prouinciæ huius suscipere gubernationem, ad quam tamen postea solus libentissimè visus est accedere. Sed eò propendebant Iesuitarum cõsilia, vt Superiorem suis rationibus per omnia obsequentem nobis nihil tale cogitantibus obtruderẽt. Nullum igitur non mouentes lapidem, vt artificiosè hoc efficerent, presbiteri cuiusdam opera vsi sunt, qui ipsorum societati suum nomen dederat. Cum enim iste patris parsoni sequutus cõsilia S^mo Domino suggessisset se a presbiteris missum, vt de superiore constituendo cum sua Sanctitate ageret, res ad Iesuitarũ vota successum habuerunt, non multo enim post Illi^mus Card. Caietanus literas, quarũ subijcitur exemplar, ad D. Georg. Blackwellum dedit.

Iste est Dominus Iacob. Standish.

Henricus Tituli Stæ Potentianæ Cardlis Caietanus. S.R.E. Camerarius Anglicanæ nationis Protector Georgio Blackwello Saderdoti Anglo. S. Theologiæ baccalaureo formato in vinea Anglicana laboranti ſalutem.

SCitum eſt, atquè vſu fere quotidiano compertum, diuina prouidentia ad bonorũ examen, atq́; exercitationem ſic diſponente, vbi maiora eduntur ad dei gloriam opera, ibi acriores etiam exiſtere ad hæc ipſa impugnanda, vel retardanda ſatanæ, atq́; communis hoſtis conatus, neq; vllum ſane vidimus his annis illuſtrius, quam in cauſa Anglicana exemplum, quæ, vt inſignem accepit à domino pietatis, fortitudinis, patientiæ, atq́; conſtantiæ gratiam, clariſſimamq́; tum confeſſorum, tùm etiam martyrum gloriam, ſic acerrimam quoquè ab hæreticis impugnationem paſſa eſſe noſcitur, ita vt locum in ea habeat illud, quod de anima electa Spiritus Sanctus pronunciat, *Certamen forte dedit ei deus, vt vinceret.* Et de vaſe electionis Chriſtus Dominus. *Oſtendam illi quantum oporteat eum pati pro nomine meo.* Imo Catholicos ipſos ac Sacerdotes nonnullos ſeminariorum, qui cæterorum duces, atquè anteſignani ad omnẽ excelſæ

excelsæ virtutis laudem hactenus extiterunt, aggredi sathanas non dubitauit, vt inter se collideret, & vnionis murũ, quo omnis nititur Christianę pietatis spes, dissiparet; Cui hostis conatui Romæ quoquè nuper emergenti, cum S.mi D.N. summa prudentia, ac paternus amor remedium salutare per dei gratiam diebus pręteritis adhibuerit, cupiatq; ad huius Collegij Romani exemplum, quod summa pace, ac tranquillitate fruitur, reliquis quoquè in partibus eandem curari, & cõseruari animorum concordiam, sine qua nihil boni exitus sperari potest, speciali mandato nobis iniunxit, vt huic rei procurandę omni nos qua possumus vigilantia impendamus, quod per libenter quidem facimus, eo quod hoc cardine potissimum, totius causę momentum versari non ignoremus.

Falsissima atque iniuriosissima suggestio.

Cum igitur non parũ interesse ad hoc ipsum nonnulli censeant, si subordinatio aliqua inter Sacerdotes Anglicanos constituatur, & rationes ab ipsis Sacerdotibus pro ea re redditę a Smo D. N. probatę fuerint, nos S.tis suę pijssimam prouidentissimamquè voluntatem sequentes, hoc ipsum statuere decreuimus, atque pro ijs quidem Sacerdotibus Anglicanæ nationis dirigendis, ac gubernandis qui in Anglię Scotięue regnis in pręsentia versantur vel in posterũ eo venturi sunt dum hęc nostra ordinatio durauerit, te deligimus, cui vices nostras pro tempore delegemus, inducti relatione, ac fama publica virtutis, eruditionis, prudentię, ac laborum tuorum in ista vinea Anglicana per multos annos excolenda; facultates autem, quas ad hoc ipsum tibi concedimus, hę sunt. Primum vt cęteris omnibus seminariorum Sacerdo-

Dominus Standishius occultus Iesuita de interpretatiua (vt postea fassus est) presbyterorum consensu cũ S.mo hac de re egit.

tibus ſęcularibus (vt iam dictũ eſt) authoritate Archipresbyteri pręſis quoad SS^mus, aut nos eius mandato aliud ſtatuerimus. Deinde vt eoſdem Sacerdotes dirigere, admonere, reprehendere vel etiam caſtigare poſſis cum erit opus, hocq; a facultatum ſibi a quocunq; ſeu quandocunq; conceſſarum reſtrictione, aut etiam reuocatione ſi id neceſſitas poſtulauerit. De ijſdem prętera Sacerdotibus diſponere, & de vna reſidẽtia in aliam (cum maior dei gloria animarumq; lucrũ illud exigat) mouere, ac commutare; dubia quoq; & controuerſias exorientes audire, & pro rerum ęquitate ex ęquo bonoq; determinare; ſchiſmata, diuiſiones, ac contentiones amouere, vel etiam compeſcere, earumque rerum cauſa quemcumque Sacerdotem ad te vocare, ac conuenire; plures etiam vnum in locum conuocare, cum neceſſe fuerit, & cum ſine probabili periculo fieri poſſe in domino videbitur: congregatis vero pręeſſe, eiſq; proponere, vel quę iſtis obſeruatu neceſſaria iudicaueris auditis aſſiſtentibus, de quibus mox dicemus, vel quę huc, aut ad Doctorem Barrettum Collegij Duaceni pręſidem (cui his etiam in rebus ſpecialis a nobis SS^mi iuſſu tributa eſt poteſtas vt vobis aſſiſtat) ſcribenda duxeris. Quod ſi quis his in rebus (quod futurum ſane de virtute omnium confiſi non timemus) inobedientem ſe, aut inquietum, aut contumacem oſtenderit, hunc, poſt debitas admonitiones ac reprehenſiones fraterna charitate præmiſſas liceat etiam pœnis coërcere Eccleſiaſticis, ablatione nimirum facultatum, vel ſuſpenſione quoad ſe emendauerit, vel ſi hinc etiam emendatiò non ſequatur, tunc vel ad D. Barrettum vel ad

nos

nos ſcribatur, vt vel inde evocetur, qui eiuſmodi eſt, vel grauioribus etiam cenſuris iſtic humilietur. Vt vero facilius, ſuauiuſq; hanc ſollicitudinis partem tibi commendatam exequi poſſis ſex quoq; conſultores, ſeu coadiutores aſſignamus, qui oneris participatione nonnihil te labore levare poſſint. Ioannem nimirum Bauandum, & Henricum Henſhaum Theologię Doctores, Nicolaum Tiruettum, Henricum Shauum, Georgiũ Birkettum & Iacobum Standiſiũ qui apud nos Romę fuit, quos ex antiquioribus eſſe optimeque meritis multorum relatione accepimus. Tibi vero facimus poteſtatem alios quoq; ſex pręter hos iſtic eligendi ijſdem habitis antiquitatis, grauitatis ac laborum rationibus, pręcipue tamen prudentię, moderationis, atque ſtudij vnionis, atq; concordiæ, non parum etiam authoritatis atq; exiſtimationis quam in prouincijs habent in quibus vices tuas noſtraſq; gerunt, omnes vero 12. tam a te quam a nobis nominatos tibi ſubordinatos eſſe oportebit, vt melius conſeruetur vnionis ratio ad quam omnia diriguntur tuendam : cum vero eos delegeris ad hoc munus quos maxime idoneos in domino iudicaueris, admonendos nos curabis de eorum nominibus, ac qualitatibus. Ipſi etiam quoad fieri ſine periculo poſſit ſuis litteris ſaltem hoc initio ſignificent quo animo ſint ad hoc præſtandum, quod ab ijs pro conſeruanda vnione poſtulatur; deinceps vero tum ijs, tum tibi iniungimus, vt ſexto quoquo menſe ſi fieri poſſit communibus vel priuatis literis ad nos datis de ſtatu rerum apud vos ſcribatis, vt ex ijs SSmo D. N. referamus quæ ſcitu erunt digna, vel quæ cauſæ ve-

Dominus Hẽſhaus diu ante e vita exceſſerat.

Mira relatorum libertas.

ſtræ intereſſe iudicabitur, vt a ſua Ste cognoſcantur. Si quis vero ex his duodecim quos tibi in conſilium rei melius peragendæ aſſignauimus abſens fuerit, aut captus, carcereq; detentus, aut extra Angliam egreſſus, aut infirmitate, morbo, aliove iuſto impedimento retardatus, quo minus officium ſuũ implere poſſit, aut recte in eo non ſe geſſerit, facultatem tibi facimus alium eius loco ſubſtituendi, ita vt nos deinde ea de re literis tuis admoneas; ſi vero Archipresbyter ipſe moriatur, vel ex Anglia egrediatur, vel in hoſtiũ manus incidat ſic, vt officio ſuo commodè fungi nequeat, tum antiquiſſimum ex cõſultoribus qui Londini per id tempus, vel proximè Londino reſederit, vices Archipresbyteri ſuſtineat quoad nos admoniti aliam aſſignemus.

Illud deniq; vel imprimis ſcire debetis, quod iam ſupra attigimus, præcipuam Smi D. N. meamq; his in rebus intentionem eò ferri, vt diſſiplina Eccleſiaſtica quantum per temporum, hominumq; rationes iſtic fieri poſſit, conſeruetur, & præ cæteris pax, vnioq; animorum atq; concordia inter fratres, ac ſacerdotes, nominatim etiam cum patribus ſocietatis Ieſu, qui vna vobiſcũ laborarunt in eadem vinea, quod ſua S.tas dignata eſt quibuſdam Sacerdotibus hinc in Angliam diſcedentibus nuper ore proprio me præſente ſeriò, ac inſtanter prȩcipere, neque hoc ſinè iuſtiſſima cauſa. Nam patres illi non ſolum hic, atq; alibi ſtrenuè impigreq; laborant pro cauſa Anglicana ſuſtinenda, fundandis ſeminarijs, iuuentute inſtruenda, egenis fouendis, alijſq; medijs plurimis, verum etiam in Anglia quoque eadẽ charitatis opera proſequuntur

ſequuntur, hocq́; vſq́; ad ſanguinis profuſionem vt euentis, factiſq́; demonſtratum eſt: cumque nullam ipſi habeant nec habere prætendant in Sacerdotes ſæculares iuriſdictionis, aut poteſtatis partem, neque vllam illis moleſtiam exhibere, manifeſta ſane hoſtis aſtutia, ac diaboli fraus cenſenda videtur ad vniuerſum opus Anglicanum evertendum comparata, vt quiſquam Catholicus ęmulationem in eos exerceat, vel excitet, cum contra potius omni amore, ac reuerentia proſequendi ſunt, quo ipſi maiore alacritate Sacerdotes, ac reliquos vt hactenus officijs, beneficijs, ac paterna plane charitate complectantur, & ſic coniunctis animis, operiſq́; opus hoc ſanctiſſimum promoueatur: vnde ſi quis fuerit, qui hanc concordiam labefactare ſtndeat, eum iuxta Apoſtoli præceptum, & Apoſtolicæ ſedis intentionem notare debebitis, vt vel admonitione corrigatur, vel pæna coërceatur: Reliqua ſi qua erunt ea vel in inſtructiones his annexas conijcientur, vel poſtea perſcribentur, cum ex litteris veſtris intellexerimus quibus amplius rebus iſtic indigeatis. Vt finem igitur imponam neſcio quibus vos alloquar potius verbis quam illis, quibus toties Apoſtolus ſuos alloquebatur ſimili in cauſa, & non diſſimili fortaſſe occaſione, neque tempore. *Idem ſapite, pacem habetote.* Et adhuc longe inſtantius. *Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium Charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, idem ſaptatis, eandem charitatem habentes, vnamines, idipſum ſapientes, nihil per contentionem, nec per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, vt non quæ*

Vtinam iſta vera fuiſſent.

sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum: hanc Apostoli regulam, atque exhortationem si sequamini, omnia vobis tuta erunt, atque glorioſa ſicut hactenus; ſi ab hac vnionis constantia vos deijci hostis insidijs patiamini magnos scopulos incursura est causa vestra, patriæq; vestræ, quod deus auertat, vosque semper tueatur, vestrisque orationibus me ex animo commendo patres fratresque amantissimi ac R^mi Christi confessores. Romæ, die 7. Martij. 1598.

R.æ V.ræ

Vti Amantißimus frater Henricus Card^lis Caietanus Protector.

SVb primum literarum Ill^mi Cardinalis Protectoris aduentum (accitis quibusdam ex nostris) D. Blackwellus eas illis ostendebat, admonens, vt se superiorem agnoscerent, sibique in posterũ obedientes seipsos in omnibus præberent. Ostendit præterea instructiones quasdam tanquam appẽdices ad superiores literas, Româ vt aiebat missas, cum reuera non Romę factas sed ab ipso confictas nobis id vrgẽtibus eodem momento temporis non sine maxima animi perturbatione, membrorumque trepidatione confessus est. Attamen his omnibus posthabitis, ne vllam daremus causam offensionis, aut scandali disertim significauimus velle nos sedi Apostolicę (sicut antea feceramus) in omnibus semper quam studiosissimè obsequi. Sed quoniam præsentis negotij candor,

dor, & veritas adulteratis hisce instructionibus alijsque præterea non infirmis rationibus in dubium nobis, veniret, propterea missuros nos Romam, qui nostra omnium consilia, & proposita S.ti suæ exponerent, ac illius animũ huiusceque authoritatis vim & valorẽ penitius intelligerent, ob pacis interea temporis & vnionis bonũ nos obedientiam D. Blackwello præstaturos, donec certo Stis suæ voluntas innotesceret. Ac ne incerta sit, aut obscura huius submissionis fides, illam paulò inferius, obsignatis (vt aiunt) tabellis in mediũ proferemus rationibus primo propositis, quibus adducti perfectè & absolutè nos authoritati predictæ subijcere distulimus.

Rationes quibus freti, tantisper distulimus nouæ authoritati subscribere, quoad ea per BREVIS Apostolici aduentum Canonicè nobis innotesceret.

PRimò. Ex ipsis literis quibus hæc authoritas in Ecclesiam nostram introducta est, haud obscurè collegimus eandem ex surreptitio suggestu, ac emẽtita informatione fuisse tunc temporis procuratam, ac propterea planè irritam, nec virium aut momenti quidquã habere. Et ne cui hanc persuasionem procliuiùs imbibisse videamur, ipsissimã oecumenicæ Ecclesiæ praxim contestamur, quam à nobis continenter stetisse, nemini, cui sacri ipsi Canones vel ab limine sunt salutati obscurum esse poterit. *Prima ratio.*

Hanc porrò authoritatẽ per fraudem & ex subreptione

reptione fuisse conquisitam bifariam nobis evincere omnino visi sumus. Exporauimus nimirum veritates plurimas in eius impetratione S.m D.m N.m fuisse celatas, & eas quidem ad rem ipsam tam proximè pertinentes, vt si a. p. parsono, qui hanc causam promouebat expositę, vel suę Sti aliâs cognitę fuisset, diuersa ab ista cui subijcimur subordinatio haud dubiè fuisset constituta. At verò si tantum veritates occultatæ fuissent, infirmior extitisset hęc prima ratio cunctationis nostræ, sed quædam insuper S.mo suggesta fuerunt, quæ veritatis nec effigiem nec vmbram quidem habuisse suo loco ostendemus.

Ex veritatibus autem quæ celabantur vna fuit pium nostrũ votum & consiliũ, quo communi fratrum consensu sedi Apostolicæ supplicare statueramus pro Episcopis, vel suffraganeis per Angliam constituendis: quod non solum in omnibus regnis, ac regionibus Catholicis, verum in alijs etiam locis tùm nostro regno subditis, tùm hæresi infectis obseruatum videmus. Ad hoc moti sumus (quod etiam ipsi in præiudicium causæ reticuerunt) tùm piò desiderio reducendi sylueścentis nostræ Ecclesiæ ruinosum ac nutantem statum ad Ecclesiasticæ Hierarchiæ vnionem, & consuetum regimen totius Christianismi, tum diuturna experientia multarum & variarum difficultatum, in quas defectu huiusce authoritatis redacti sumus. Quæ mala Ecclesiæ nostræ indies sentimus ingraueścere ob earum consolationum ac cęlestium charismatum inopiam, quę diuinum illud regimen indiuiduè comitantur. Cuiusmodi sunt. Olei consecratio, Sacramenti confirmationis

tionis administratio, & multijuges aliæ gratię quas ad fęlicem Ecclesię statum constituendum Episcopalis ordo secum adferre solet. Et vero cum animos nostros subeat recordatio huius sacramenti tam multis nominibus his deploratissimis pręsertim temporibus necessarij, vbertim cadentes lachrymas compescere non possumus. Etenim si antiquitas tantum illi tribuerit, vt non dubitaret dicere Nouatum hæreticum ideo fuisse lapsum, quod signaculo Chrismatis consignari neglexerit, certe quidem fieri haudquaquam potest in hoc pergraui afflictionis & persecutionis tempore quæ tot continentèr annos in hac Christi vinea perdurauêre, quin tantæ animarũ strages, tot Catholicorum aut vacillationes, aut ab Ecclesia defectiones, & cętera id genus mala huius sacramenti orbitati accepta ferantur, cum pauci aut nulli reperiantur eo muniti qui quadragesimum & quartum saltem annum nondum excesserunt.

Secunda veritas occultata hęc fuit. Quod post obitum pię me. Card^lis Alani graues admodum & scandalosæ exortæ essent contentiones inter Iesuitas eorumque fautores, & Sacerdotes nostros, quas imperandi desiderium primùm in carcerem visbycensem invexit, & mox per vniuersam insulam prosemina- nauit, dum quidam eo tempore tectè nunc apertè Iesuitę omnes eò conatus intendebant, vt cęteris Sacerdotibus grauitate morum, diuturna carcerũ perpessione & doctrina insignibus viris, P. Westonus Iesuita pręficeretur. At verò si hoc religiosorum in Sacerdotes sęculares imperium Visbyci subsedisset, & *Secunda veritas celata.*

extra parietes illius carceris vires non fuisset exertu-
rum, id quidem, quamuis nec ex vsu esset Ecclesiæ,
neque ex religiosorum instituo, paulò tollerabilius
fuisset; verum eas illud fores actutùm effracturum, &
vniuersam postea insulam instar flammæ erumpentis
peruasurum prænuncijs quibusdam eorũ actioni-
bus moniti haud vane metuebamus. Quidam enim
sub id tempus eorum consilijs admodum familiaris
libellum exarauit, quo varijs rationibus persuadere
nitebatur, eos Sacerdotes vt animarum duces inep-
tos habendos esse, qui in vitæ institutione ac viuendi
rationibus a Iesuitis non dependerent. Sed hoc for-
tassis Iesuitis nescientibus nec probantibus effutitum
est, ac illis proinde crimini non vertendum. Vtinam
(quod amoris causa precamur) id verum esset, sed
longè aliter rẽ habere eorũ tùm voces, tùm actiones
testatę sunt, siquidẽ a P. Gar. prouinciali & quibusdã
alijs illud obfirmatè propugnatũ est, cum a quibusdã
ex nostris, vt vniuerso Sacerdotij ordini iniuriosum,
redargueretur. Hæc & horum similia (quæ si vsus po-
stulauerit prolaturos nos recipimus) miris artibus
priuatim a Iesuitis factitata, & per vniuersam insulam
passim decantata argumẽto esse poterunt, tùm prin-
cipatum in clerum illos pertentasse, tum ex eo quod
his Iesuitarum conatibus presbyteri restiterint vni-
uersa hæc dissidia primitus emanasse.

Accedebant his malis varij, & calumnijs fæti in
vulgum sparsi rumores, quibus, vt refractarij, vt supe-
rioritatis impatientes, vt ordinis, obedientiæ, ac dis-
ciplinæ fugaces ac contemptores traducebamur.
Quæ cum ita essent superiorem ordinarium ex clero
impetrare,

impetrare, tam ad tuẽdam noſtram famam, quàm ad retundendum malorum ingruentium impetùm apprime neceſſarium iudicauimus, rati nimirum ſuperiores epiſcopali authoritate donatos, & ex noſtris communi calculo approbatos, aptiſſimos fore, qui lites omnes componerent, pacem ſtabilirent, ſpiritualibus populi neceſſitatibus prouiderent, & commune Eccleſiæ bonum fælicius promoverent.

Hoc noſtrum deſiderium vnà cum cauſis motiuis, ac præfatis Ieſuitarum, & Sacerdotum diſſentionibus ſi ſuæ S.ti fuiſſet expoſitum, facile nobis perſuaſimus iſtiuſmodi regimen pænarum infligendarũ abundans, ſed vtilitatum ſterile, vel non inſtituendũ omninò, vel ſaltem in hunc principem illorum fautorem, & acerrimum in omnibus (recte an ſecus fiant) defenſorem, eaq; de cauſa ab illis promotum, minime conferendũ. Longe autẽ incredibilius videbatur, a ſua Sto (ſi rectè illũ de rerũ noſtrarũ ſtatu informaſsẽt) proficiſci potuiſſe, vt Archipresbyter nihil momẽti incõſulto prouinciali Ieſuitarum perageret ſed illius cõſiliũ (vti in inſtructionibus ſuis habet) ad omnia maioris momenti adhiberet, cum idem prouincialis princeps eſſet controuerſiarũ ex vna parte, ſicq; fieret actor & arbiter, accuſator & iudex, ſolicitator, & ſequeſter, cliens & conſiliarius, idemq; litem intenderet, & controuerſiam dirimeret. Quæ omnia, & alia a communi ſenſu tam abhorrentia cum hæc nova authoritas ſecum inveheret, quis iure nos criminis alligabit, ſi tantiſper illi ſubſcribere diſtulerimus, quoad veram noſtri ſtatus relationẽ ad Sm tranſmitteremus, illius animũ plenius intellecturi.

Sed veritates occultatas iam missas faciamus quibus fortassis vt velum obtendant, ignorantiam causabuntur, & ad falsitates eorũ expressas accedamus, vbi doli actionem non facile effugient. Literæ Cardinalis vnicam in medium rationem huius institutæ authoritatis proferunt, quam etiam precipuam motiuã causam, & tanquã eiusdem basim fuisse ex ijsdẽ colligitur. Ea fuit, dissidium seu discordia, quam inter Sacerdotes seminariorum, populumq; Catholicum hîc exortum fingebant. Quod illorum commentum nimis sanè quam fraudulenter fuit ab illis suggestũ, vt sua S^tas, si durã de nobis opinionẽ imbiberet, facilius flecteretur ad superiorẽ ex ipsorũ informationibus, & mẽtibus constituendum. Sed hoc plurifariam falsitatis redarguitur. Primo, ex ipsius Archipresbyteri literis, non longe ante authoritatis huius institutionem ad Ill^m Protectorẽ datis, quibus tantis laudibus Iesuitas est prosequntus, vt ob eam causam hac illum authoritate Archipresbyteri fuisse donatũ multi censeant. Ex ijs igitur litteris, quæ sequuntur, ad uerbum descripsimus.

Prima falsitas.

10. *Ian.* 1596.

Hæ literæ in Collegio Anglorum Romæ ad perpetuam rei memoriã asseruantur in cõmentarios relatæ.

Ego iam expleui plusquã viginti annos in animarũ cura apud nostros Anglos, & in veritate Catholica Romana enuncianda, & hactenus non memini alicuius dissentionis inter nos, cuius afflatus paulo molestius aliquando commouit: homines sane sumus multis infirmitatibus circundati, sed sit laus deo in tanto iniquissuni temporis decursu sic tecti fuimus diuina gratia, vt nihil quod sciã, acciderit quod de mutuę pacis ac fraternę concordię statu nos aliquando deiecit. hęc ille. Quibus quid planius excogitari

gitari potuit ad refutandam illam rationem, quæ ex patris Parsoni & sociorũ informatione fundamentũ constituendæ huius authoritatis superius assignatur. Porro cùm iste dissentionis rumor paulo ante Iesuitarum nostratium consilijs non admodum congrueret, summo ipsi opere id tempus contendebant, vt opinionem pacis, & tranquillitatis qua semper vsi sumus omnium vbiq; animis insererent.

Mutuam demum atque conspirantem concordiam inter Sacerdotes, & Catholicos laicos iam inde ab initio cõtinuò extitisse communis Catholicorum quibuscum viximus attestatio plenissime comprobabit. Si quæ autem fortè simultates, seu inter Sacerdotes ipsos, seu inter eos, & quosdam ex laicis in medium proferri possint, illæ post hanc nouam authoritatem potissimum, & ex illius occasione, & nostratium Iesuitarum artibus extitere.

Secundo quid a veritate tam alienum excogitari potuit, quam quod D. Standishius ad hoc negotium promouendum subornatus (quem nomen suum Pa. Prouinciali in eorum numerum recipiendum sub id tempus dedisse novimus) coram S. D. affirmauit omnium se consensum sacerdotum habuisse, quem sane nec habuit, nec postulauit, quod ipsum illius furtivum iter (nobis scilicet quorum id intererat prorsus inscijs) susceptum evidentèr declarat. Et interrogatus postea qua fronte illud faceret, respõdit se exprę-sumptione seu suppositione illud asseruisse. *Secunda falsitas.*

Ratio secunda principalis Secunda ratio. Literæ Illmi Cardinalis tantũ (vt cuiuis inſpicienti appareat) ſignificabant Sum D.N. illi iniunxiſſe vt paci procurandę ad Romani Collegij exemplũ invigilaret, nulla de Archipresbytero conſtituendo, neque de authoritate ipſius tam longè lateq; patente mentione habita. Pernotũ autẽ nobis fuit poteſtatem delegatam adeo eſſe ſtricti iuris, vt non quęlibet, quibus facilius cauſę expediantur, ſed illa ſola cõceſſa eſſe ſine quibus cauſę expediri nõ poſſunt. Quod autem ad pacem procurandũ ſpectat, nobis ſimilitèr exploratum videbatur hanc Archipresbyteri authoritatem non eiuſmodi eſſe, quę pacẽ inter Ieſuitas, & Sacerdotes ſeminariorũ, inter quos ſolũ diſſidia exiſtebant, componere poſſet, cum Ieſuitę ab hac iuriſdictione immunes eſſent, ac adeo liberi, vt Archipresbytero nec in minima quavis re tenerentur ſubeſſe. Quam noſtram de pace procuranda coniecturam, veritati conformem fuiſſe effectus comprobarunt, cum longe plures, ac grauiores exortæ ſint contentiones poſtquam Archipresbyter authoritatem adeptus ſit, quam antea extiterẽ.

Ratio tertia. Tertia ratio. Ipſęmet literę teſtantur Illm Cardinalem hanc authoritatem in Eccleſia noſtra inſtituiſſe virtute delegationis ſibi (vt aiebat) commiſſæ: cum autem nulla ratione nobis id ſæpe poſcentibus probatũ fuit illũ eſſe delegatũ, nec per originale, nec per exemplũ ex originali ſolemnitèr ſumptum, (quod ipſi Canones & totius praxis Chriſtianiſmi exigunt) iurè nobis perſuaſimus non obligatos nos eſſe in tam grande noſtrum, Eccleſięq; noſtrę pręiudicium

dicium illi fidē adhibere, & Archipresbyterum admittere, donec canonice delegatio nobis innoteſceret.

Quarta ratio deſumitur ex modo quo in ipſa authoritatis ſuæ promulgatione vſus eſt D. Georgius Blackwellus. Cum enim lectæ eſſent Illmi Caietani literæ quibus conſtitutus eſt prædictus D. Blackwellus Archipresbyter, proprio motu quaſdam protulit inſtructiones, quas literis hiſce annexas aſſeruit, eaſdemq; plane fuiſſe, quarū in literis mentio facta eſſet, cum reuera non eſſent, ſed a ſe confictæ, quod etiam eodem momento temporis non ſine maxima animi perturbatione, membrorumq; trepidatione falſitatis conuictus, clariſſimis verbis confeſſus eſt, & contra ſe teſtatus, quamuis non ita confuſus, quin Paulo poſt tremens, & palleſcens alia ſimiliter propoſuerit, conſtanterq; affirmauerit in illis authoritatem ſe habuiſſe, circa quæ poſtridie ſimilem fecit confeſſionem; adeo abſolutè inſuper authoritatem, quam vendicabat, non erubuerit dicere ſuam, vt ad ſedem Apoſtolicam appellationem fieri poſſe pernegauerit, atque confirmauerit admonitus tamen aliquoties in quam periculoſum incidiſſet errorem, tandem aliquando ſiluit. *Ratio quarta.*

Quinta ratio conſtat ex varijs, & probabilibus coniecturis, quibus adducti fuimus vt crederemus Sm D. N. Illmo Caietano in mandatis non dediſſe, vt hanc authoritatē ea preſertim firmitudine ab initio ſanciret, quæ nos ſtatim ad eius acceptionem obligaret: ſed vt eam nobis primū proponeret, tum demum vel confirmandam ſi communi calculo cauſæ *Ratio quinta.*

Catholicę videretur ſalutaris, vel certè mutandam, aut reuocandā, ſi preſentis Eccleſię ſtatui iudicaretur incommoda. Neq; leuiter ad hoc cenſendū inducti ſumus, ſiquidē Sacerdotes quidam fide digniſſimi, qui ſub id tempus Roma venerant, referebant nobis ſuam Stem dixiſſe nolle ſe omnino vel Superiorem aſſignare, vel authoritatem aliquam in Anglicana Eccleſia conſtituere, priuſquam Sacerdotes ibidem laborantes illi ſignificarent quodnam regiminis genus ad afflictiſſimę illius Eccleſię bonum cęteris vtilius videretur. Preterea hoc animi Sm habuiſſe etiam pater Parſonus in corona nonnullorum conteſtatus eſt. Sed & a tempore, quo noſtri e carcerbus dimiſſi ſunt (quos P. Parſonus 4. pene mēſes ſtrictiſſima cuſtodia ſeparatim aſſervauit, donec Breue Apoſtolicum in authoritatis confirmationem perſubtili, & fraudulenta ſubſcriptionum collectione procuratū eſſet) intelleximus D. Acriſium Fiſcalem D. papę ex ore Smi retuliſſe noſtris ſuā Stem non conſtituiſſe, nec cōſtituere voluiſſe ſubordinationē huiuſmodi, ne ſua ſediſq; Apoſtolicę authoritas in Anglia a prębyteris cōtemptui haberetur. Pręterea cū ſuperioribus ſęculis inaudita res eſſet, vt Archipresbyter vnus principatum teneret in vniuerſum clerum vnius regni etiā in alieno regno (quod literæ Cardlis ſtatuunt) agentem, idemque ex ſua ipſius voluntate ac ſolo motu (quod ipſemet & ſuis literis atq; etiam praxi poſtea confirmauit) quemcunque facultatibus etiam a ſummo Pont. datis penitus priuaret, in animos inducere non potuimus velle ſuam Stem abſq; vlla diplomate, ſeu canonica notitia ad huiuſmodi regiminis formam vſque quaq; obſervandam conſcientias noſtras obligare,

Ah, quotidiana in ſedis Apoſtolica defenſione, & authoritatis eiuſdem ſanguinis effuſio iniquis cedit informationibus.

Scotia.
17. Iunij.
1600.

obligare. Cùm hæc etiam nova authoritas in pænis infligendis tota conſtituta eſſet, nihil quidquã ſecum adferens in miſeriarũ noſtrarũ ſolatium, aut perſecutionis levamẽ, ſed potius e cõtrario afflictioni afflictionem, & onus oneri adderet, perſuadere nobis non potuimus illam a ſua Ste tam amantiſſimo nobis patre ſtatutam eſſe. Et ſane quod ad pænas infligendas attinet; D. Blackwellus in authoritate exercenda & Edictis, cenſuriſq; multiplicandis tantoperè ſęuijt, vt minimus eius digitus grauior factus ſit duriſſimis patriæ noſtræ legibus. Patriæ quidem leges poſuerũt ſuper nos iugum graue, ipſe vero addidit ſuper iugũ noſtrũ; cędũt nos leges patrię flagellis, ſed Archipreſbyter noſter cædit nos ſcorpionibus. Poſtremo plura fuere, eaq; non dubia nobis argumenta, quibus impulſi putabamus huiuſmodi authoritatẽ inſcio Smo D. N. fuiſſe conſtitutam. Primo, literæ Illmi Cardinalis in aliquibus maximi momenti mutatæ videbãtur & poſteriora exempla a prioribus differre. Vbi enim primæ habuerunt, quod indicta cauſa ad puniendum non procederetur, ſed coram aſſiſtentibus cauſæ audirentur, & aſſiſtentium deſignatorum numerus ex ijs expleretur, qui prope Londinum reſederunt, vt pręſto eſſent, quos in rebus ſuis conſuleret, poſteriores quæ modo oſtenduntur, nihil tale continent. Quis autem a Smo ordinationem approbatam mutare audebit?

Secundo qui in ſimplicitate ſua (cæteris omnibus abdicatis) his perſequutionũm temporibus patriam ſuam opera, atq; etiam vita ſua ſubleuaturi, altari, ſacrãentorumq; adminiſtrationi ſe totos dedica-

runt, ad patriam mittendi facultates, quibus officiũ ſuum faciant, habere nequeunt, niſi obedientiam Archipresbytero iurare voluerint. Si autem a ſua Ste authoritas illa profecta fuiſſet, quid opus eſſet novo ſacramento illos obligare quos adeo ſummo Põtifici obedientes ſcirent, vt cum ſanguinis periculo alios ad obedientiã ſedis Apoſtolicæ hortandos proficiſcerentur.

Tertio quod ſub aduentum authoritatis Archipresbyter affirmaret (ſi obedientes ſibi pauliſper eſſemus) velle S.mum Epiſcopos nobis conſtituere, illiſq; annuas penſiones ſoluendas aſſignare æquales illis, quas ſub principibus catholicis Epiſcopi noſtri habuere, quod certè improbabile valde nobis videbatur, cum reditus annui Epiſcoporũ noſtratium qui minus habuerunt comuniter viginti millia aureorũ excederent.

Quarto quod in literis Illmi ſpeciatim cautum eſſet, ne nominatio ſeu electio Archipresbyteri vlla ratione ſpectaret, vel ad Aſſiſtentes, vel ad vniuerſum Clerum, qui ſub illius poteſtate victuri eſſent, ſed vt ſinguli deinceps Archipresbyteri ab Illmo Cardinali aſſignandi, & conſtituendi eſſent. Cum autem ille ignarus penitus eſſet rerum noſtrarum, & preſentis Eccleſiæ ſtatus, patriſq; Parſoni informationem in omnibus ſequeretur, futurũ plane erat, vt nullus Archipresbyter eligeretur, niſi quem P. Parſonus (pars & precipuus actor diſſentionũ) eligendũ, & approbandũ iudicaret. Quę omnia cum a ſacris Canonibus maxime abhorrerent, nobis certò certius videbatur a ſua Ste nõ fuiſſe ſtatuta, ac propterea ab omni

nos

nos crimine immunes fore, ſi abſq; vlteriore notitia illa non admitteremus.

Sexta ratio in eo fundata fuit, quod etiamſi concederemus fuiſſe hanc authoritatem a S^mo conſtitutam, moram nihilominus noſtram in Archipresbytero admittendo ab omni crimine liberã coram deo, ſede Apoſtolica, & vniuerſo orbe Chriſtiano iudicaremus ſacri enim Canones aliud non prȩcipiunt, quã vel obedire mandato Pontificis, vel rationabilẽ reddere cauſam quare non obediatur. Horũ autem alterũ præſtitimus (quantũ in nobis erat) quando duos ex noſtris compresbyteris Romã deſtinauimus qui ſuę S^ti varias rationes redderent quibus freti obedientiam, quam D. Archipresbyter a nobis exegit, procraſtinauimus, ſignificarentq; quam eſſe P. Parſonus (horũ omnium machinator) proceribus, primoribuſq; totius regni Magiſtratibus hoc nomine odioſus, quod per eiuſdem literas, quas vt alias ſȩpe, ſic per id tempus intercepiſſe ſe aſſeruerunt de regni inverſione, alijſq; rebus ad ciuilem ſtatum pertinentibus ipſum egiſſe certo cognoſcerent. Cum enim illum regni etiam proceres putarent huiuſce authoritatis precipuũ authorem, & procuratorem (ſi illa a nobis tam levibus nixa fundamentis admiſſa fuiſſet) maximam proculdubio excitaſſent perſequutionis tempeſtatem, qua non ſolum vitæ noſtræ, ſed totius etiam populi catholici in diſcrimen adductæ fuiſsẽt, nutantiſq; Eccleſiæ ſtatus haud leuiter concvſſus. *Ratio ſexta.*

Atq; hæ ſunt rationes Ill^mi atq; R^mi DD. (quibus plurimæ aliæ poſſent addi) quę nobis adeo iuſtę videbantur vt conſcientię noſtrę in ijs tuto acqui-

eſcerent; eò ſumus progreſſi nihiloſecius ob aliorum quietem, & deſideriũ pacis, vt priuatim, & publicè per literas flagitaremus notitiam diſtinctam omniũ, ad quę dicta authoritas ſe extenderet, ne per etrorẽ, aut ignorantiam vel in minimo impingeremus. Et quoniam nihil nobis ſanctiſſima pace potuit eſſe antiquius, pluries diſertim ſignificauimus nos omnes quamprimum Smi D. N. mens, & ſententia nobis liquido conſtaret, obvijs, & promptiſſimis voluntatibus omnem illi obedientiã delaturos quę Superiori deberetur. Et vt nihil deſideraretur quod a nobis iuſtè exigi poſſet, profeſſi ſumus eo interim ſpatio nolle nos aut illi cõtradicere, aut eius authoritati refragari, aut inobedientes noſipſos exhibere, quod ex hic inſertis patebit illorum ſcriptis, quos Archipresbyter, & Ieſuitę (vt ſchiſmatis & inobedientię antiſignanos) verbis, & ſcriptis condemnarunt.

Anno 1599. 8. Martij.

Queritur an acceptare velim pro meo ſuperiore Archipresbyterum, eidemq; me ſubijcere quem alij dicunt iuſſu ſuæ Sꝺis, alij vero narrãt eius iniuſſu per ſolum Illmũ Cardinalem Protectorem ſuper vniuerſum Clerũ Anglicanum conſtitutum eſſe ſuperiorem.

DIco. cum ex huius authoritatis occaſione, & eius prima promulgatione grauiſſima ſcandala, & contentiones in Eccleſia Anglicana aborta ſint, & inde adhuc magis quotidie eadem ingraueſcant, aſſeraturq; a multis presbyteris hanc poteſtatem

teſtatem non ex iuſſu, vel mandato S.mi D. N. inſtitutam, ſed ad quorundam privatorum inſtantiam, abſq; aut omnium, aut plurimorum certè ſacerdotum cõſenſu, & notitia eſſe ſurreptam: interea dum communibus eiuſdem Cleri ſuffragijs, & votis ageretur de quibuſdam mittendis Romam, qui a ſua ſanctitate Epiſcopos peterent, vel ſuffraganeos in varijs regni provincijs conſtitui, & nobis prę fici pro maximis Eccleſiæ Anglicanæ neceſſitatibus ſublevandis: Cum deniq; Presbyteri aliqui iam Romam profecti ſint, qui S.m D.N. de omnibus reddant certiorẽ, atq; ad nos referãt quid in quaq; re ſua Stas ſtatuere velit, ac iubeat obſeruari: num videlicet Epiſcopos nobis prę ficiendos, vel Archipresbyterum decernat: dico inquam me nihil ad queſitum iam poſſe reſpondere, donec plenius cõſtiterit, quid ſua Stas in hac controuerſia decernere & ſtatuere velit. Sed cum primũ S.mi D. N. ſententia, & decretum nobis innotuerit; eidem libentiſſime & promptiſſimo animo in omnibus me pariturum profiteor. Interea autem dum hęc ſciantur, Archipręsbytero, quem narrant nobis ſuperiorem iam eſſe conſtitutum, in nulla re cõtradicam, aut eius authoritati (qualis qualis fuerit) refragabor, vt Chriſtiana pax, & charitas integra inter nos, & illæſa in omnibus permaneant.

Ita ego Ioannes Muſheus Presbyter
mea manu.

Aliæ ſequuntur literæ a Rdo D. Io. Collingtono ad Archipresbyterum miſſæ.

Admodum Rde Domine.

TAmetsi nonnullis cordi sit severius me taxare, testimonio tamen conscientiæ meæ, nec vellem quemquam iuste offendere, nec ignorantiam effectare. Semel antehac a D.ne tua efflagitabã, & nunc paritèr summoperè, & supplicitèr petitionem redintegro, vt notitiam habeam omnium particulatim quibus vt obediã authoritas tua me obstringit. Ne patiaris igitur optime Domine, me adeò invitum errare. Existimo aliud me non expetere, quam quod iurè ad me spectat, nec id preter decorũ. Profecto nisi fallor, ausim affirmare eam mihi voluntatem, & mei curam esse, vt quovis seu premio, seu supplicio proposito nollim de industria in quocunque inobediens esse, ad quod authoritas tua pertingit, vel valorem suum iurè protendit, quod autem ad alia spectat, ad quæ, non capio, qua ratione teneor, ingenuè fateor tum vestrum mecum procedendi modũ, tum opinionem duriorem de me conceptam multorum relationibus ad me, perlatũ in causa omnino esse, quod & præterquam quod cupio, aut ad quod natura inclinor minus te respexerim, aut certe non ita amice erga te, me gesserim. Vale. 11. Aug. 1598.

Do.nis V.æ

Qui cognoscere & emendare desiderat in quo nunc errat aut antehac errauerit.

Ioannes Collingtonus.

Alia

ALia huiuſmodi teſtimonia innocentiæ noſtræ, ſi vſus eſſet, poſſemus hic afferre, quibus paſſim inculcauimus ſub aduentũ Breuis Apoſtolici omnes nos in omnibus obſequentiſſimos fore.

Cæterum ne res diutius pendula maneret, duo ex fratribus noſtris ſine mora itineri ſe dederunt vt ad ſedem Apoſtolicam omnia deferrent, & Smi mentem plenius intelligerẽt: poſt horum diſceſſum quiddam ſanè acutè, quamuis parum honeſtè a P. Parſono (vt a fide dignis accepimus) excogitatũ eſt. Cum enim Smi animus is eſſe omnibus innoteſceret, vt nulla nova authoritas (multo minus ea, quæ ab omni priuelegio preterquam a pœnis infligendis nuda eſſet, & vacua) nobis inſcijs, & invitis obtruderetur, literæ quædam, quibus omnes ſubſcriberẽt, propoſitæ ſunt, quæ in Anglia gratiarum actiones pro iam conſtituta, in vrbe vero ſupplicationes haberentur, vt ab Illmo nobis propoſita authoritas a Smo confirmaretur. Harum vero literarum exemplar hoc eſt quod ſequitur.

Beatiſſme Pater.

OLim dicebamur toto diviſi ab orbe Britanni nũc autem per hæreſes dicimur & ſumus (quod dolendum eſt) a totius orbis primaria vrbe (hoc eſt ab Apoſtolica veſtra ſede) aut diuulſi miſerè magna ex parte, aut latiſſime ſegregati. In tanta tamen omnis pietatis ſtrage apud nos quia ex miſericordia

Domini omnes consumpti non sumus vt reliquiæ de rebus inter se digladiari non possint, sed saluæ existāt vestræ Sanctitatis pastoralis cura prouidit, & iussit vt inter nos per institutionē Illustrissimi D. Card. Caietani sic referantur ad ordinem, vt quasi membra quæque loco locata nos summa in pace viuamus ad gloriam Dei, & ad vestræ supremæ authoritatis in Cathedra Petri facilem ac promptam defensionem. Hęc cōsentientibus sensibus nos omnes agnoscimus & conscriptis nominibus quā gratis & quam lætis animis ac rectis exceperimus quasi publica nostra testificatione notandum esse putauimus : quod propter ingraueſcentes persecutiones licet omnium fratrum nostrorum comparatis iudicijs & chirographis firmatum non sit, tamen non dubitauimus quin omnes rectis sensibus euntes in hoc vnum inclinatione voluntatum libentissime incubuerint. Confidimus in Domino quod iam armis prudentiæ vestræ tuebimur causam Catholicam contra illiteratam insulsitatem hæreticorum & contra omnium aduersantium impetus quantumcunque illi stimulis nos foderint, contumelijs lacerauerint, æquuleo distenderint, & extrema morte membra nostra cruentauerint. Etenim propter vnitatem Domus Dei, cuius hodie est Rector Clemens octauus nos hæc omnia in lucris ponimus, si modo diuina gratia adiuti humilitatem, modestiā, obedientiam, & Charitatē coluerimus, ad quæ quidem per vestram sanctissimam dispositionem satis vocati, eruditi & quasi facti sumus. Pro hoc igitur tā ingēti & singulari beneficio quamuis in referenda gratia B. vestræ minus satisfacere possumus

possumus, tamen in predicanda, & habenda satis indicare cõcursum officij nostri suppliciter, ac demisse voluimus. Atque illud provoluti ad pedes vestros humillime & subiectissime petimus, vt quo spiritu excitastis Amplissm D. Protect. N. ad dandum prescriptum nobis valde opportunum & salubre pro litibus ordinandis, & conuersatione, & propagatione fidei apud nos, eodem velitis nouas & iteratas accessiones facere, & paternæ vestræ curæ & Apostolicæ Charitati erga laborantem vehementer, & inclinantam, & prope iacentem Patriam nostram, vt quæ ad progressum in pietate, & commodum avitæ Religionis pertineant, illa non contracta, sed extenta manu vestra conferantur ad omnium afflictorum inter nos communem & necessariam consolationem.

Deus qui dedit vobis sapere ad ædificationem pacis in Ecclesia idem eiusdem fæliciss.m successum vobis cum Longissima vita, & incolumitate concedat.

Lond. In Octaua omnium sanctorum.

Beatitudinis vestræ
Humilimi filij.

HÆ literæ passim per regnum actutum volitarunt, quibus, vt nomina subscriberent, cunctos solicitarunt Iesuitæ, & pro aduersarijs non solũ D. Archipresbytero sed sibi etiã habuerũt illos omnes,

qui ſubſcribere recuſarunt. Imo, quamuis ipſi ab authoritatis orbita ſe longe eximerent, vt maiori ſpecie fucũ cæteris facerent, eoſq; facilius ad ſubſcribendũ prolectarent, tanquam in frõtiſpitio ſua nomina prebuere. Quo exemplo aliquos partim amore, partim verecundia ad ſubſcribendum induxere: nonnullos quos hæſitare viderũt terrore ſchiſmatis (cui negantes ſubſcribere obnoxios ingeminabant) ad idem inflexere: alij demum authoritate decepti ſua nomina dedere, qui nunquã dediſſent ſi vel per ſomnium coniectaſſent illam robore Apoſtolico non fuiſſe antea & fixum, & ſancitum. Sed quoniam omnia ſeorſim hic exprimere res eſſet tędij plena, duo tantũ exempla delibanda proponemus. A Presbytero quodam pio, & in vinculis detento ſuum nomen, vt daret, poſtularunt, cui id recuſanti miſit P. Garnetus ſocietatis Prouincialis, qui hoc ſuo nomine illi renuntiaret. OB VETERES AMICITIAS MIHI NON NEGABIS TVVM NOMEN SVBSRIBERE, atq; poſtea authore nec ſciente nec conſentiente ad augendum ſcilicet numerum id cæteris attexuit.

Alterum vero idem prouincialis (P. Parſoni nomine interpoſito, quod apud illum plurimum valiturũ ſperabat) ad ſubſcribendum inſtigabat, dictitans a patre Parſono illud excogitatum proinde non negandum.

Dum vtrique ſua agerent, (Ieſuitæ quidem atq; Archipresbyter vt omnes Presbyteri abſq; examine aliquo ijs ſe ſubijcerent, quibus ſubiecti dicebantur, presbyteri vero mentem ſummi Pontificis per nuncios ad ipſum miſſos intelligerent) literæ quædam

novæ

novæ Illmi Cardin. Caiet. apparuerunt Romæ datæ, quibus (hoc ipsum postulante Smo qui tum erat Ferraræ) iussit Archipresbyterum de moribus & actionibus reluctantium (vt aiebat) fratrum ad ipsum scribere; harum vero literarum exemplar de verbo ad verbum sequitur.

Henricus Cardinalis Caietanus Stæ Rom. Ecclesiæ Camerarius, Angliæ Protector &c. admodum Rdo ac dilecto in Christo Georgio Blackwello Angliæ Archipresbytero salutem in autore salutis.

ADmodum Rde ac in Christo dilecte vti frater. Vehementêr sane delectati sumus ijs literis, quas satis frequentes ad me his diebus tum charitas tua, tum consultores etiã tui Presbyteri assistentes, alijq; viri graues non pauci dederunt de iusta lætitia, communiq; approbatione subordinationis illius quam Smus Dominus iustissimis, pijssimisque de causis per nos in Clero isto Anglicano instituendam curauit; hoc enim & a virtutis vestræ singulari opinione, & vitæ quoque professione excellentis expectandum omnino erat, vt qui ad restituẽdam Christi Vicario, sedique Apostolicæ obedientiam debitam tot pericula, ac labores obitis, ipsi obedire eiusdem Stæ sedis ordinationibus non recusetis, sed alacri potius animo (quod feciſtis) summi pastoris vestri statuta ad vtilitatem, pacem, & corroborationem vestram edita, obuijs (vt aiunt vlnis) amplecteremini. Itaq; ex hac vestra, bonorumque omnium presbyterorum adeo

prompta hilarique obedientia quam literis conteſtati ſunt, cum S^mus Dominus, tum ipſe etiã pro officij mei ratione, ac eo prętera quem in vos ſentio ſingularem amorem, gaudium profecto atque ædificationem non mediocrem accepimus, quam optaſſem quidem perpetuam, vel certè diuturnam. Sed poſterioribus quidem nuncijs turbari aliquantulum cepit, cum eſſet perlatum quoſdam (vti fieri ſolet) refragari cepiſſe ac contentiones ciere, conuenticula quoque agitare vt ſuperiorum mandata in queſtionem vocẽtur. Tandem deniq́ue ad S^tem ſuam per miniſtros in partibus borealibus (vti videtur) exiſtentes, ſignificatum eſt duos ex Anglia presbyteros a tumultuantibus his emiſſos iam eſſe qui huic ſubordinationi eccleſiæ Anglicanæ S^tis ſuę iuſſu inſtitutę contradicant. De qua re factus certior S^mus per moleſto animo (prout æquum eſt) accepit, voluitq́; plenius de perturbatoribus informari. Cumque charitas tua nihil adhuc certi hac de re, neque de hominum iſtorũ moribus vel actionibus ad nos ſcripſerit (quod tuæ ſane modeſtię ac pietati tribuitur ne facile ad fratrũ deſcendas accuſationem) nunc tamen S^mo id poſtulante, vt informatio debita de omnibus habeatur, faciendum tibi erit omnino, vt rerum veritas per te patefiat acceptis & ad nos tranſmiſſis (quoad commodè ac ſine pericnlo fieri poterit) bonorum tecum conſpirantium ſententijs, ac reluctantiũ etiam ſeperatim, notatis nominibus, cauſiſq́; percenſitis quas reluctationi ſuę prętendũt. Quod vt facilius citiuſq́; ex noſtrę ordinationis authoritate perficias, hoc tibi cęteriſq́; presbyteris iniungimus, vt ſtatim ac diligentèr

Presbyterorum fama Archipreſbyter ſit dominus.

gentèr fiat, variaq́; harum literarum anthographà ad te mittenda iuſſimus, quo facilius multis ad rei peragendę breuitatē oſtendi poſſint, dominū precantes vt magna bonorū ſuorū abundantia vos compleat, & pace veraq; charitate quę perfectionis omnis vinculū eſt dignos efficiat. Neq́; defatigemini animis, vt Apoſtolus hortatur, ſi difficultates ac contradictiones nonnullas in hoc veſtro regimine experiamini, id enim vel optimis ſemper eccleſiarū rectoribus ab initio contigit,& idē Apoſtolus ipſius Chriſti domini exemplū vobis proponit, qui talem (inquit) ſuſtinuit a peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionē. Sed omnia tandem ipſe dominus pacabit, fluctuſq́; exurgentes compeſcet, voſq; de laboribus veſtris ac patiētię cumulatè remunerabitur. Ipſe vos cuſtodiat ſemper. Romę, die decimo Nouembris. Anno. 1598.

Vti frater Henricus Cardinalis Caietanus Protector.

Non ita multo poſt a quodam ſocietatis Ieſu Presbytero nomine Liſtero ſequens tractatus compoſitus contra nos divulgatus eſt.

Aduerſus factioſos in Eccleſia.

PAcem ſummum Eccleſiæ Chriſtianæ bonum eſſe quis neget, cum Chriſtū Eccleſiæ totius Regem, grauiſſimam hanc legem tuliſſe inaudiuerit, *Pacem*

relinquo vobis, pacem meam do vobis? Est ergo pax Christi donum, pignus, lex, & illud maximum atque preclarissimum bonum, ad quod tum assequendum tum fouendum Christiani omnes suos labores, atque studia vel maxime conferre debeant.

Quid autem aliud est σχισμα quam vniuersæ Christianæ pacis summa quędam euersio? atque Schismaticus quid aliud agit contra summum Ecclesię Christianę bonum quod quidem in se est, euertere? Ipse sane in inferni diffidia tandem proijciendus, qui Ecclesiam quę templum est Spiritussancti, tãto malo affligere non dubitauerit. Sed propius ad rem accedendum est.

§. 1. *Quid sit schisma.*

Σχισμα a σχιζω verbale esse quis dubitet? Est ergo scissio quædã. Hęc scissio in regno vocatur *Seditio*, in Ecclesia, gręco vocabulo, *Schisma*. Atque in illo pacem temporalem, in isto pacem spiritualem labefactat. Estne doctorum quispiam qui contradicat? Est ergo schisma illud mortiferum peccatum quo pax Ecclesię Christianę discinditur.

§. 2. *Quotuplex sit Schisma.*

PAx in animorum interna, atq; externa vnitate sita est. Qui hoc negat, neq; cum deo, neq; cum hominibus pacẽ vllã colit. Sed vnitas hęc Ecclesiæ Christianę triplex est. Quoties hoc factiosis inculcandum est? Prima vnitas est fidei, vna fides, & vnus deus, secundum

ſecundum Apoſtolũ. Secunda eſt Religionis, vnum etiã Baptiſma ſecundũ evndẽ. Cęterę etiã cęremonię quas Chriſtus inſtituit, eędem ſunt ſicut Baptiſmus in vniuerſa Chriſti eccleſia. Tertia eſt Ordinis. Eſt enim Eccleſia dei caſtrorum acies ordinata. Atque hac vna ſententia omnes omnino factioſi in Eccleſia occiſione occiſi delentur. Hæc triplex vnitas tribus modis diſſoluitur. Nunquid illi hic hærere poſſunt? Prima vnitas ſoluitur hæreſi. *Pergo.* Secunda vnitas, ſoluitur illo falſo cultu qui ſectę alicui proprius eſt. *Propero.* Iſtud enim centies demonſtratum eſt aduerſus tepidos illos quorum plurimos deus evomere in morte hactenus conſuevit. Tertia vnitas qua tandem ratione ſoluitur? Rebellione. Quis vnquam tam ſtupidus fuit, qui rebelles in vlla repub. pacem colere ac non penitus ſubuertere cenſuit? Nihil, ſi quiſquam neget quod orbis vniuerſus negabit, illum eſſe hominem, pronunciabit vero eſſe belluam.

§ 3. *Age vero, quid eſt Rebellio.*

ILle in Rebellionem incidit, qui in Principem ipſum, vel Rempub. inſurgit. Hoc principium eſt in Philoſophia politica notiſſimum. Ergo qui inſurgit in Eccleſiam, vel Eccleſiæ principem, ille in Repub. Chriſtiana rebellis eſt. Planiſſime. Quis eſt Eccleſiæ princeps? Chriſtus. Nunquid omnis rebellio eſt in ipſum ſolum? Non, non. Qui vos *ſpernit*, me *ſpernit*. Hæc Chriſti ipſius principis ac regis noſtri grauiſſima ſententia eſt. Eſt autẽ Pontifex Romanus Chriſti regis ſummus Vicarius in Eccleſia; ergo qui in eum

 inſurgit,

insurgit in Christum insurgit, ac rebellis est. Sed quid est in eum insurgere? quid? qui eius authoritatem non recipit, insurgit: qui eius iugum excutere molitur, insurgit. Non libet plura nunc referre. Pergo igitur. Sed meminisse debemus non in solũ Romanum Pontificem insurgere, rebellionẽ esse, sed etiam teste B. Cipriano, lib. 4. Epistola 9. ad *Florentinum Puppianum*, insurgere in Episcopum quemvis Catholicum ac legitimum rebellio ac schisma est. Istud probat hac 2ci ratione. 7. q. 1. cap. Scire debet. ~~Christus~~ in Ecclesia est, & Ecclesia in Episcopo. Vnde ipse inferri recte indicat, eum in Ecclesia schismaticum esse, qui pacem cum dei Sacerdotibus non habet. 2. q. 2. Ecclesia Catholica vna est non scissa neq; diuisa, sed connexa & coherentium sibi invicem sacerdotũ glutino copulata: ergo glutinum Ecclesiæ quod pax est, per schisma dissoluit, qui cum sacerdotibus pacẽ non habet. Sed perpendamus verba Christi: Qui vos *spernit, me spernit*. Hoc nõ solũ Romani Pontificis, sed omnium superiorum Ecclesiastorum qui ei parent, priuilegium est. Atque hinc luculenter nimis deducitur eum rebellem, schismaticum, atq; Christi ipsius contemptorem esse, qui vllum superiorem Ecclesiasticum, per vllam rebellionem spernit. Ad hæc, quis tam hebes est, qui non videat authoritatem Pontificis Romani, per modum causæ vniuersalis in quavis subiecta sibi authoritate, vt in causa particulari, relucere & contineri. Ergo, Ergo idem omnino est insurgere in quemvis particularem in Ecclesia dei superiorem, ac Rom. Pontificem non recipere vel excutere velle. Sed adeant nugaces isti ac in theologia homunculi

vllam

vllam Rempub. etiã inter ethnicos bene inſtitutam: Nunquid non ipſe eſt in principem rebellis qui magiſtratus recuſat vllos a principe datos? eſt, eſt. Omnes id vno ore clamitant. Sed quod eſt ſeditio in repub. eſt ſchiſma in Eccleſia. Ad extremum tertiam Eccleſię vnitatẽ in ordine ſitam eſſe docuimus. Hęc vero eſt ſuperiorum ac ſubditorum diſpoſitio. Cum ergo rebellio erga infimos quoſque ſuperiores hunc ſupernaturalem, ac diuinum plane ordinem euertit, nulla omnino rebellio a ſchiſmate excipi poteſt.

§. 4. *Num neutrales ſunt rebelles in Repub.*

QVis vnquam in politico aliquo regno, hac de re dubitationem fecit? Finge aliquam Angliæ partem aduerſus principem rebellare, aliam vero neutralem eſſe, quæ principem neq; recipiat, neq; non recipiat. Certe neutralis iſte pars tam impia in principem cenſetur, ac ſi quippiam cõtra molita eſſet. Protuli aliquando ad iſtud idem Chriſti ipſius elogium. *Qui non eſt mecum contra me eſt: qui non colligit mecum ſpargit.* Sed neutrales non ſunt cum ſuperiore ſuo; ergo contra eum ſunt. Non colligunt vires ſuas vt ipſum defendant atque obtemperent, ergo ſpargunt quod in ſe eſt vires ſuperioris ſui. Ad hæc, neutrales ad regnũ vnitũ non ſpectant quia neutrales ſunt, ergo ſpectant ad regnum diuiſum, ergo ſpectant regni euerſionẽ, cum omne regnum diuiſum, deſolabitur, ergo in regnum Chriſti neutrales rebelles ſunt. Tandem quis vnquã negauit eos in Eccleſia Chriſti ſchiſ-

 maticos

maticos esse, qui notam legitimi Papæ authoritatem recipere noluerunt, esto nihil vnquã contra Papam fecerint.

§. 5. *Quam pœnam Ecclesia decreuit in omnes schismaticos.*

EGo sane cum pœnam illam grauissimam atq; iustissimam considero, quam tulit. *Gregor. 4.* in hos maxime schismaticos totus contremisco artubus. Ita vero loquitur egregius Ecclesię Catholicæ Pontifex verba autem ipsius profero, atque habentur, d. 19. ca. Nulli fas est.) *Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis precepta, nec nostræ dispositionis ministerũ* (Audite factiosi) *quod vestram oporteret sequi charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis Apostolicis voluerit cõtraire Decretis, nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat, nec de eius iudicio quisquam postea curam habeat, quoniam iam damnatus a sancta & Apostolica Ecclesia ac authoritate, sua de inobedientia atq; presumptione a quoquam esse non dubitatur.* Ergo factiosi isti prostati sunt ruinæ suæ dolore, eo quod contraiuerint Decretis Apostolicis: locum inter Sacerdotes amiserint, extorres sunt a sancto ministerio, eorum iudicium contemnendum, atque iam damnati sunt a sancta Apostolica ecclesia.

Sed pergit in eodẽ fulmine iaciendo summus ille Pontifex, *Quod maioris excommunicationis decreto est abijciendus, cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disciplina, qui non solum prefatæ Ecclesiæ sanctæ iussionibus parere debuit, sed etiam alijs ne preterirent, insinuare.* En factiosi officium

officium veſtrum. Atque inſuper etiam addit pænã: *Sitque alienus a diuinis & pontficalibus officijs, qui nolit preceptis Apoſtolicis obtemperare.* Hæc Gregorius quartus. Nunquid non antea recte cenſui, quo tandem loco illi habendi eſſent, qui vel precepta Apoſtolica præ rebellione violarent? Cum ergo Bulla cænæ, in omnes ſchiſmaticos, ſententiam excommunicationis proferat: quis aſſerere poterit has rebelles atq; factioſos eximi, qui in precepta ſedis Apoſtolicæ de nouo accipiendo ſuperiore rebelles omnino extiterunt?

Prima ergo omnium ſchiſmaticorum pæna eſt maior excommunicatio, quam ipſo facto incurrunt. Hanc tulit Bnlla cænæ dominicæ.

Secũda pæna eſt a vera Chriſti Eccleſia excluſio, quod omne ſchiſma (quod vel ipſo facto, aut confeſſione in iudicio, aut iudicis ſententia manifeſtum eſt) hanc pænam longe infæliciſſimam ſecum defert. Qui enim Eccleſiam, non audierit (quod omnes ſchiſmatici ſatis in ſuam perniciem moliuntur) eſſe debent ſicut ethnici & publicani. Sed ethnici nũquid membra Eccleſiæ ſunt? non ſunt. Faceſſant ergo factioſi omnes. Nam ſicut Iudæi quondam publicanos ita eos auerſari debemus.

Tertia pæna illa eſt quam explicuit S^tus^ Cipriany *Lib. 1. Ep. 6.* ad *Magnum.* Dicimus (iniquit) omnes omnino hæreticos, & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis aut iuris. Et ſanctus ille Epiſcopus doctor, & Martyr ſchiſmaticos cum ipſis hæreticis pares facit. Et S^tus^ Auguſt. in Enchir. 65. agens de criminibus quæ ab Eccleſia ſeparant, plane aſſerit a nemine

extra Eccleſiam per iuriſdictionem remitti peccata. Ergo ſi factioſi iſti confeſſionem audiant, atq; abſoluere pertentent, nihil omnino efficiunt. Preterea Optatus lib. 1. contra Parmenianum ita loquitur: hæreticos atque ſchiſmaticos nō poſſe habere claues regni celorum, nec ligare, nec ſoluere. Illud idem Beda noſter aſſerit in cap. 18. Math. Ad extremum quod ſanctiſſimi et antiquiſſimi patres docuerunt, docet etiam ſanctiſſ. ille Eccleſiæ Doctor Thomas Aquin. 22. q. 39. Art. 3. Poteſtas (iniquit) iuriſdictionis non immobiliter adhæret; vnde in ſchiſmaticis & hęreticis non manet. Vnde nō poſſunt abſoluere nec excōmunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid eiuſmodi. Hęc ſanctus Thomas. Atque eandem ſententiam defendunt omnes Canoniſtę atque Theologi, vno ferme Caietano excepto, qui non eſt audiendus contra tot patres atque theologos, cum ſuo tantum iudicio atque authoritate fulciatur.

Nunc rationem manifeſtam afferamus, quod ſchiſmatici manifeſti membra Eccleſię Chriſti non ſunt. Quomodo ergo erunt capita, qui non ſunt mēbra? Si capita non ſunt, nihil ergo iuriſdictionis Eccleſię poſſident, ſed eam ipſo facto amittunt. Neque priuilegio (ad euitanda) huiuſmodi defendi poſſunt, quia non tantum excommunicandi ſunt, ſed ipſo etiam facto ab Eccleſia per ſchiſma exciderunt. Illa porro ſiue lex ſiue permiſſio de huiuſmodi ne verbum quidem facit. Et quamvis populum Chriſtianum in hoc caſu (quod non facit) immunem faceret, nihil tamen iuvat ipſos excommunicatos, qui non ſolum excommunicationem, ſed etiam cum abſolunt, et celebrant,

brant,&c. irregularitatem incurrunt, in qua certe ſolus Romanus Pontifex diſpenſat. Atque hęc irregularitas quanta eſt eiuſmodi factionum pęna? ſed de pęna ſatis pro inſtituti noſtri breuitate. Solum illud cum Turrecr. ac Greg. de valentia adijcere libet, ſchiſmaticos ſuam non recipere iuriſdictionem per ſolam abſolutionem, niſi in amiſſam proteſtatem iterum reſtituantur.

§. 6. *Factioſorum ſubterfugia.*

1. PRincipio factioſi iſti obtendunt noui ſuperioris authoritatem non ſatis promulgatam eſſe. Deus bone quam peccant iſti? Tot enim literę a ſedis Apoſtolicę mandato profectę ſunt, vt nemo prudens hac de re poſſit dubitare. Moralem ergo habemus hac de re certitudinẽ, quam in omni re morali ſatis eſſe omnes omnino iudicant.

Duas tantũ accepimus ab Illmo Caietano quas ſuperius poſuimus quarum vel vnas quidem aſedis Apoſtolicæ mandato profectas non conſtabat.

2. At Bullam nullam aut Breue Pontifex confecit. Ineptiſſime. Quis enim ſacrorum Canonum hoc vnquam præcipit?

3. Verum non eſt receptum a ſubditis, falſum: quia maior, melior, & doctior ſacerdotum pars iam ſubſcripſit, atque eorum nomina ad ſummũ Pontificem tranſmiſſa ſunt. Preterea acceptatio ſubditorũ ad ſuperioris Eccleſiaſtici ius ſtabiliendum non eſt neceſſaria, vti Eccleſię conſuetudo ſatis docet, quid? receptio nonne requiritur ad legem ſtabiliendam? Ita ſane. Sed non eſt eadem legis & ſuperioris ratio: quia lex eſt Iudex inanimatus, atque perpetuam, niſi tollatur, vim habet. Non ita eſt de viuo atque mortali

ſuperiore. Quare eadem grauamina a lege & ſuperiore non inferuntur.

4. Quarto obijciunt ſubditorum conſenſum ad ſuperiorem Eccleſiaſticũ ſtabiliendum requiri. Non ita eſt. Primo, quia ſummus Pontifex non ſemel, ſed ſepiſsime eiuſmodi ſubditorum iura (ſi iura dicenda ſunt) varijs in locis ſuſtulit. v. gr. In vniuerſa Gallia mos fuit vt Capitula Epiſcopos eligerẽt. Sed hoc tẽpore Frãciſci primi ſublatũ fuit, ac nominatio regibus Gallię commiſſa. Sed quorſum hic heremus? Poteſt ſummus Pontifex pro ſuę poteſtatis amplitudine illud vbique locorum ſtatuere, quod maiori Eccleſię bono conuenerit. Ad hęc, in Anglia omnia iura nominationum, electionum, & præſentationum, quæ in regibus, Academijs, ac capitulis fuerunt, per hæreſim deſtructa ſunt. Poſtremo, ſuperior iſte datus fuit ex papalis poteſtatis plenitudine, quod hoc tempore perſecutionis minime expedire putauerit tot annis Clerum, qui in Anglia eſt, ſine obedientia atq; ordine in alijs regnis recepto, vitam hanc periculoſiſsimam viuere debere.

Non eſt mentio in literis Ill. Caet. (cuius hæc erat ordinatio) de alio mandato quã pro diſſentione quadam ficta componenda.

5. Sed dicant fortaſſe pontificem hoc decreuiſſe non ſano aliorum conſilio incitatum. O Mendaciũ. Quid? Nunquid factioſis iſtis licebit in re grauiſsima tam impune, tamq; imprudenter mentiri? Proferant ſi verum eſt ſuos teſtes, aut alia argumenta quæ ſapientem conuincant. De ſtultis enim, non ita curãdum eſt quid ſentiant, quidve effutiant.

6. At non eſt omnino certum, ſchiſma in aliquo particulari cætu admiſsum excommunicationẽ annexã habere. Principio. Nullum eſt ſchiſma ita perticulare,

ticulare, quin in totius Angliæ cõtumeliam vergat, vt ſupra apertiſſimis rationibus conuincimus. Ad hæc verba Gregorij. 4. ſupra allata ita manifeſta ſunt, vt neſcio an quiſquam ſanę mentis de his dubitare poſſit. Tandem Bulla Cænæ excommunicauit omnes ſchiſmaticos vtique proprie ita mucupatos. At ſatis oſtendimus hos factioſos ex eorum eſſe munero, ergo ſunt ſunt omnino excluſi ab Eccleſia dei per excommunicationem maiorem.

7. Aliud obijcere poſſunt ſe rebellare quidem ſed aduerſus particulare præceptum. Deus bone, nunquid non Gregorius. 4. agit ex profeſſo contra huiuſmodi ? Ipſius verba legantur quæ ſupra poſuimus.

Octauo. Reijciunt ſolum novo ſubeſſe officio: atque idcirco rebelles ſunt in Pontificem qui illud officium inſtituit; atque dum Domino Blackwello ſubeſſe nolunt, neq; ſedi Apoſtolicæ quã nunc Clemens. 8. gubernat ſubeſſe velint, ergo, vt ſupra oſtendimus, ſchiſmatici ſunt.

9. Spem ſuam abijere poſſunt fore minirum, vt Pontifex ſententiam mutet. Verum interea temporis, cum nunc ſuperiorem, virum omni eruditione, prudentia, probitate conſpicuũ non recipiunt, nimirum quia rebelles & ſchiſmatici ſunt. Atque in more poſitũ eſt, vt mali ſubditi bonos ſuperiores odio proſequantur. Verunne ? vtiq; longe veriſſimum.

10. Ad extremũ, in ſuum ſempiternũ dedecus legatos factioſos ad Pontificem factioſi iſti deſtinarunt, vt ſuperiorem nihil eiuſmodi merentem deponat, ſed fruſtra, non enim ſine crimine deponi po-

teſt, & quod crimẽ in homine integerrimo, ac notiſſimæ virtutis & ſapientiæ reperturi tandem ſunt? nihil profecto criminis prẽter illas infamię notas, quas homini ſummę probitatis ſuis illi mẽdacijs aſperſuri ſunt,

§. 7. *Factioſorum crimina.*

NVnc vos appello factioſos qui tam lyncei eſtis, vt ex nullis omnino peccatis, crimina confingere poſſitis, vt in veſtra tandem crimina oculos conijciatis.

1 Vos rebelles eſtis.

2 Schiſmatici eſtis, atque excidiſtis ab Eccleſia & ſponſa Chriſti.

3 Obedientiam Pontifici ſummo debitam proculcaſtis.

4 Contra omnem fidem ac authoritatem humanam deliquiſtis, eo quod moralem reijcitis in re morali certitudinem.

5 In excommunicationem atq; irregularitatem irruiſtis.

6 Perdidiſtis facultates quibus animas lucrari debuiſſetis Chriſto.

7 Tantum concitaſtis in animis piorũ omnium ſcandalum, vt tanquã infames per omnium omnino ora volitetis. Quid plura? In Chriſti ſummum vicarium, atque in Chriſtũ ipſũ iudicem, ac vindicem veſtra inobedientia ita peccaſtis, vt cũ Samuele Propheta dicere in vos poſſimus. *Quaſi peccatũ ariolandi*

landi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere. Videte obſecro vos nihilo meliores Ariolis ac Idololatris; & qui eccleſiam per Pontificem ſummũ vos alloquentem non audiſtis, tanquã ethnici eſtis & publicani. Atq; hic finem dicendi facio, illud obnixe deum prepotentem deprecatus, vt in animos veſtros gratiæ ſuæ vim tandem influat, ne ad ſempiternũ exitiũ cum ethnicis, ac Idololatris protruſi huius tantæ inobedientiæ, atque ſcandali pænas immortales luatis.

Hucuſque pater Liſterus Ieſuita.

QVam otioſus, atq; ſolis convitijs refertus fuerit iſte de ſchiſmate contra nos editus tractatus Il^mis & R^mis D^bus V^ris diſcutiendum relinquimus, quibus quomodo nos in hoc negotio geſſerimus ob oculos poſuimus. Incredibile plane eſt quanto cum applauſu Ieſuitarũ fautores, atq; ineruditũ vulgus tractatũ iſtum exceperint, & vſq; ad cælos extulerint. Nos interim quibus tanta iniuria illata eſt, atque invſta infamia ad D. Archipresbyterũ ſcripſimus, vt mentem ſuam hac in re nobis ſignificaret. Hic dictum diſcurſum & cenſurã approbaſſe omnino reſcripſit. Miſimus etiam literas ad patrem provincialem Ieſuitarũ, vt opinionem ſuam de eodem haberemus tractatu, iſte vero adeo ſe approbaſſe reſpõdit, vt nemini prorſus viro probo præiudiciũ eſſe potuiſſe aſſereret, qui ſedi Apoſtolicæ obſequium præſtare paratus eſſet.

Poſt hæc D. Blackwellus tres ex ijs, qui non ſubſcripſerunt, ſelegit, in quos authoritatem ſuam exer-

ceret, & cum antea de nominibus subscribendis nihil ad illos aut dixisset, aut scripsisset, vltimam illis admonitionem in hac verborum forma dedit.

Dominis Ioanni Collingtonio, Ioanni Musho & Anthonio Hebomno.

HÆc vltima est mea admonitio, quam emitto ad vos D. Ioannem Collingtonum, D. Ioannem Mushum, & D. Anthonium Hebournum, vt authoritatẽ nobis a superioribus delatã ex mandato summi Pontificis agnoscatis, amplectamini, & ex scripto vestro, quasi certo teste obedientiæ vestræ, & appositis nominibus vestris confirmetis. Hoc si facere renueritis, aut in hoc vestris excusationibus illudere perrexeritis, nolite putare, quod ab æquitatis semita, & charitatis deflexerim, cum sine mora vos illigauerint pænæ Ecclesiasticæ pro contumacia vestra. Deus det vobis sanam mentem.

4. Aprilis. 1599.

Ego Georgius Blackwellus Archipresbyter manu Propria.

QVoniam vero P. Parsoni & Iesuitarum quos Archipræsbyter in omnibus sequebatur, seueritatem multis sepè in causis declaratam, illis imminere non frustra opinerentur: ne ad extrema quæ in istis minitabatur confugeret, tres illi ad sedem Apostolicã continuò

continuò provocabant: appellationis autem formam his adscribendam curauimus.

Admodum R^de Domine.

IN omnibus quæ S^mus D. N. Clemens Octauus summus Pontifex de Archipręsbyteratu tuo iã statuerit nobisq; mandauerit obseruanda, nosmetipsos vtpote obedientissimos Romanæ Ecclesiæ filios suæ S^tis Decreto vel plenissimè subijcimus. Cæterum quia non satis adhuc nobis constat hoc Archipr^tus tui officium, vllis aut Apostolicis literis, aut scripto authentico, (quo rei veritas, & summi Pontificis nostri Decretum contestatum appareat) a sua S^te aut institutũ esse, aut confirmatum, aut nobis impositũ: ideo nec in animum nobis inducere possumus, nec vlla ratione intellectu consequi, quomodo tibi gradu quo postulas obedire teneamur, quamuis minanti, vt cominatus es, sine mora nos pænis Ecclesiastris pro contumacia fore illigandos, nisi authoritatẽ hanc agnoscamus, amplectamur, & ex scripto nostro confirmemus. Cumque preterea Ill^mus Cardinalis Protector artificiosissimis modis per R. P. Parsonium in causa nostra ita videtur abduci, vt ex eius solius informatione & persuasu, ea iubeat quæ in grauissimam Ecclesię nostræ perniciem & regni totius perturbationẽ omni festinatione properant, idcirco ne nos aut facultatibus a sede Apostolica nobis concessis importunè priues, aut vlla Ecclesiastica ferias censura, quæ te posse dicis; nos Ioannes Colletonius, I. Musheus, Ant. Hebournus, quibus speciatim literis tuis minitatus

catus es, & alij preterea Sacerdotes vna nobiſcum in eadem cauſa coniuncti, noſmetipſos iniquè pregrauari ſentientes : a tua reuerentia in omnibus ad S.mum D.um N.um appellamus, vt per ſummam ſuæ Stis æquitatem, prudentiam, & authoritatem, ab omni iniquo grauamine & iniuria, patrocinium recipiamus & levamen. 6. Maij, 1599.

Nos quorum nomina infra apponuntur contẽ. ſtamur nos appellare & per ſupradicta appellaſſe ad ſedem Apoſtolicam, tum pro nobiſipſis, tum pro confratribus omnibus qui ſeſe hac in cauſa nobis coniunxere aut coniuncturi ſunt.

Io. Coll. Io. Muſ. Anth. Heb.

DIe vero ſequente (hac Appellatione contemptui habita) ne fortê caſu, & inaduertenter loquutus videretur, quando in promulgatione authoritatis ſuę inter alia ſuperius memorata iterum atque iterum affirmauit non potuiſſe nos ab eius tribunali ad ſedem Apoſtolicam appellare, hanc ſententiam, qua Appellantes a grauaminibus imminentibus ſuſpendit a facultatũ ſuarũ vſu, ſuſpenſoſq; denunciauit, his verbis intonuit.

D. Ioanni

D. Ioanni Collingtono. D. Ioanni Mushe. & D. Antonio Hebourno.

QVoniã iteratas & sæpius repetitas admonitiones meas repulistis, & ordinẽ per Superiores vestros institutũ perturbastis & quę ad pacem faciunt, & propagationem Ecclesiæ temerario impetu perfregistis: ego quos habeo perditos ex patientia mea, iam experiar an emendatos vos videam ex correctione, quæ nunc ad refrenandam nimis exultantem vestram cõtumaciam progreditur. Et licet ex nota schismatis, quæ vobis a viris summæ sanctitatis & eruditionis invsta est, in facultatem omnium amissionem incideritis, quia tamẽ duplex anchora navem tumultuantem vestræ inobedientię firmius & fortius detinebit, ne liberius evagetur ad maius vestrum periculũ & bonorum omnium offensionem, Ego Georgius Blackwellus Archipresbyter vester per authoritatem ex mandato summi Pontificis mihi commissã, vos D. Ioannẽ Collingtonũ, D. Ioannem Mnsheum, & D. Antoniũ Hebournum suspendo ab omniũ facultatum vestrarum vsu, & tenore prẹsentium omnes facultates vestras suspensas esse denuncio, precorq; deum optimum maximum, vt aperiat oculos cordis vestri, vt videatis quę sit voluntas Superioris vestri, & vt eidẽ rebelles omnes machinationes vestras cito subijciatis. Lond. 7. Maij. 1599.

Ego Georg. Black. Arch. vester manu propria.

HAnc non tam illatam nobis iniuriam quam erga ſedem Apoſtolicam irreuerentiam admirati de communi conſilio & conſenſu (ne hæc, atque huius farinæ alia in grauiſſimum vergerent Eccleſiæ Anglicanæ detrimentum) conditiones pacis & ſubmiſſionis (cenſuris interim parentes) Domino Archipreſbytero obtulimus atque in hunc modum ad ipſum ſcripſimus.

VT ſemper fuimus prompti, ita denuò expreſſè admittimus authoritatē quam ſua Stas inſtituit, & paratiſſimi ſumus eidem obedire quam primū authentica eiuſdem probatio nobis innotuerit.

Præterea etiamſi id nobis liquidò oſtendi non poſſit, tamēn vt declinemus calumnias & vt tranquillius functiones communi bono exerceamus acquieſcemus authoritati & obedientiā ſub his conditionibus haud grauatè paciſcimur.

1. Vt certa interpretatione planum nobis faciatis quam ampla ſit hęc authoritas, & quouſq; ſpeciatim ſe extendat, ac eiuſdem apographum nobis præbeatur.

2. Vt nobiſcum concurratis ad miſſionem aliquorum Romam vſq;, qui hac ratione, liberiorem habeant acceſſum & faciliorem copiam coram Smo D. N. comparendi quò plenius eum de toto negotio informent & certiores nos faciant de Stis ſuæ ſentētia. Ea lege vt ſi illorum aditus & acceſſus directè vel indirectè per Ieſuitas intercludatur, nobis liceat obedientiam hic oblatam denuò reuocare.

Quoniam duo ex compresbyteris noſtris qui in hoc negotio Romam miſſi plurimum elaborarunt,

ex

ex informatione hinc emissa infamati sunt, in vincula coniecti & etiam num (quod sciamus) custodijs asseruantur, rogamus igitur vt notitia infamiæ & criminum quorum insimulantur nobis aperiatur, vel vt testimonia vestra habeant quod probè se hic & honeste gesserint aut saltem quod nihil de eorum vita & moribus infamiæ nota dignum vos ipsi sciatis. Quandoquidem generatim omnes & aliqui sigillatim iniuria affecti & adsperſi infamia simus ex occasione tractatus de schismate ab vno ex societate editi, postulamus vt ille tanquam falsus rescindatur, & nobis fama nostra quoad eius fieri potest in integrũ restituatur per editionem alterius tractatus ab authore prioris. Vt consensum & litteres nobiscum detis quibus a sua Ste impetremus vt Archipresbyter, alio de hinc modo non eligatur quam communibus sentẽtijs & suffragijs cleri, preterea quoniã assistẽtes ęquali (provt fertur) in locis quibus preficiuntur cum Archipręsbytero authoritate pollent vt horum etiam electio fiat eorum suffragijs qui in eadem cum ipsis & sub ipsis dioceſi soleant residêre.

Ad effugiendos tumultus & perpetuas lites quæ ex mixtione & confusione diuersorum statuum religiosi nimirum & sęcularis exoriri soleant, vt quicunq; imposterum seu in Archipresbyterum seu in assistentem eligendus in verbo Sacerdotis profiteatur se nec voto nec obedientia nec alio quouis vinculo subordinationis incorporatum alteri statui seu sodalitati cuicunque. Itemque quandocunq; certò cõstiterit suum statum seu vocationem illum permutasse, vt authoritate quam in nostrum Clerum retinet sua sponte se abdicet.

Demum quoniam prȩsens regni ſtatus miris mo-dis infenſus nobis manet, procerumq; in nos irę cumulatius indies augeantur, occaſione libellorum, litterarum aliarumque circa temporalem regni ſtatum machinationum quę nec his temporibus nec noſtris profeſſionibus admodum conueniunt maiorem in modũ petimus vt omnibus huiuſmodi artificijs protinus & penitus noſtro ordini interdicatur. Et vt Archipresbyter cum aſſiſtentibus pro huiuſmodi prohibitione Smo D. N. coniunctim ſupplicent.

Atque huc vſq; cecinnimus ſurdo; ne tamen has ſubmiſſionis noſtrę literas non accepiſſe videretur, reſponſum dedit pro more ſuo plenum irriſionibus, quę tamen adueniente Breui Apoſtolico ficut & infinitę alię iniuriæ obliuioni tradebantur. Sub hoc enim tẽpus. Breue Apoſtolicũ et Literas accepimus a fratibus noſtris, qui Romæ erant ſub cuſtodia P. Parſoni, vnas quidẽ ab altero, ab altero nullas plane antea acceperamus. Exemplum autem Breuis illius Apoſtolici hoc eſt quod ſequitur.

Clemens Papa Octauus.

AD futuram rei memoriam. Inter grauiſſimas noſtræ paſtoralis ſolicitudinis curas, illa de Catholica nimirum religione conſeruanda & propaganda prȩciputum locum obtinet : & propterea quȩcunq; ad hunc finẽ mandato noſtro, per S.R.E. Cardinales geſta & ordinata ſunt, vt debitum conſequantur effectum Apoſtolicę confirmationis robore communimus.

nimus. Nuper ſiquidem dilectus filius noſter Henricus tituli S. Potentianæ Presbyter Cardinalis Caëtanus. S. R. Eccleſiæ Camerarius ac nationis Anglicanę apud nos, & Apoſtolicam ſedē Protector, pro fęlici gubernio & regimine ac mutua dilectione pace ac vnione Catholicorum regnorū Anglię & Scotiæ, ac pro diſciplina Eccleſiaſtica conſeruanda & augenda, de mandato noſtro dilectum filium Georgium Blacuuellum Sacerdotum Anglum, ſacrę theologię Baccalaureum, ob eius pietatem, doctrinam, catholicæ religionis zelū, & alias virtutes in Archipresbyterum Catholicorū Anglorum, cum nonnullis facultatibus per eum & alios duodecim Sacerdotes illius aſſiſtentes reſpectiue exercēdis per ipſius patētes literas expeditas, quarū initū eſt, Scitum eſt, atq; vſu fere quotidiano compertum &c: finis vero, veſtriſq; orationibus me ex animo commendo patres frateſq; amantiſſimi Chriſti confeſſores, die 7. Martij. Anni Milleſimi, quingenteſſimi, 98. deputauit, prout in prędictis patentibus literis, quarum tenorē preſentibus ac ſi ad verbum inſererentur, pro expreſſo habere volumus, plenius continetur. Nos autem cupientes deputationē prędictā, ac omnia in prędictis literis patentibus contenta, tanquā de mandato & ordine noſtro, & cum participatione, ac plena ſcientia noſtris facta & ordinata plenarię executioni vt par eſt demandari. Et vt illa omnia pleniorē roboris firmitatē obtineant, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine deputationē ſupradictā, ac prędictas narratas Henrici Cardinalis Protectoris

patentes literas desuper expeditas, cum omnibus & singulis in illis expressis facultatibus, priuilegijs, indultis, instructionibus, declarationibus, ac alijs quibuscumque contentis, in omnibus & per omnia perinde acsi omnia hic nominatim expressa & specificata essent, authoritate Apostolica tenore presentiũ confirmamus & approbamus: illisq; Apostolicę ac inviolabilis firmitatis robur adijcimus: & omnes ac singulos defectus, si qui in eisdẽ interuenerint, supplemus; eaq; omnia & singula de expresso mandato & ordine, & cum perticipatione & certa scientia nostris facta & ordinata fuisse & esse, ac propterea, valida, firma, & efficacia existere & fore, ac pleniſſimam roboris firmitatem obtinere, suumq; plenarium effectum sortiri, & obtinere; sicq; ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices ac commissarios iudicari, & definiri debere: ac irritum & inane quicquid secus super his, a quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud S. Petrum sub anulo piscatoris, die sexta Aprilis. Anno 1599. Pontificatus nostri, Anno Octauo.

M. Vestrius Barbianus.

Quamprimum

QVamprimum Breue hoc Apoſtolicum fratrum noſtrorum Romæ incarceratorum ſubſcriptionibus teſtatum vidimus (quamvis preter conſuetudinem in huiuſmodi obſeruari ſolitam & præfationem haberet, eſſetque de re maximi momenti, potuiſſetq; abſque ſummi Pontificis notitia tum ex cancellaria tum etiam ex penitentiaria proceſſiſſe, aſſereret inſuper in literis Illmi Cardinalis Caet. contineri (pro vnione Catholicorum regnorum Angliæ & Scotiæ) D. G. Blackwellum in Archipresbyterũ Catholico-Anglorum ab eodem Illmo Cardinale Caet. deputatum, cum reuera nec Catholicorum, nec Sacerdotũ omnium, ſed Seminariorũ tantũ in literis illis Archipresbyter deputatus ſit, (vt intuentibus literas illas apparet) abſq; mora aliqua illi paruimus (omnibuſq; condonatis iniurijs) cum ijs pacem fecimus qui fere apud omnes infames nos reddiderant. Sed cum his (vti euentus probauit) qui oderunt pacẽ eramus pacifici, curare enim prætendebant contritionem noſtram dicentes pax pax, & non erat pax. Pacem & ſibi & nobis gratulabantur D. Archipresbyter, et Ieſuitę, quin etiam P. Parſonus gratiſſimum nuntium pacis huius ad noſtros miſit, qui eo maiore cum patientia exulabant quod pace cõſtituta (Iudicibus ſic decretũ ſuum exponentibus) ad nos reuerſuri eſſent. Sed quã fuerit hæc pax ficta, vel ex eo conſtare poterit, quod neque fratres noſtri ad patriam revertere, neque nos qui domi eramus in pace reſpirare permitteremur. Quatriduanam ſiquidem P. Thomæ Liſteri Ieſuitæ de ſchiſmate opinionem ſuſcitauit alius Ieſuita nomine Rob. Iones, atque cenſuras Eccleſiæ modo in-

currere predicauit, qui nos non fuisse schismaticos dogmatizando affirmaret. Huic astipulatus est D. Archipresbyter, et non modo assertionem istam Iesuitę huius approbauit, sed resolutionẽ quoque hanc, quæ sequitur, vbique publicauit.

ACcepimus a matre ciuitate (Romam intelligit) resolutionẽ, detrectatores nimirum cõstitutę authoritatis schismaticos esse. Et sanè ego nemini absolutionem darem qui nullam eius rei religionem faceret. Nunquid scandalum inde exortum, D. Protectoris authoritatis attenuationem, opprobria patribus societatis inflicta, & periculum in quod me traxerunt sine peccato esse existimant? Non habent vt opinor ita cauteritas conscientias. Quapropter iubeo, vt huius rei se accusent, & satisfactionem antea faciant, quam absolutionis beneficium accipiant. Rationem vero, et modum satisfaciendi confessarij prudentiæ schismatis nota non invsti relinquo.

Hęc resolutio, quã a P. Gulielmo Worfordo vel P. Henrico Titchburno Iesuitis D. Archipresbyter affirmauit se accepisse, cum illis ceremonijs atque circumstantijs proponebatur, vt a sede Apostolica profecta a multis putaretur. Ad euitandum igitur scandalum quod denuo oriri cæpit, et ad controuersias omnes inter nos penitus tollendas has dedimus ad D. Archipresbyterum literas.

Admodum

Admodum R^da Pater.

QVam humilibus te votis & ſupplicibus compre-
camur, vt extrema neceſſitas præduræ infeſtęq;
ſortis in quam noſtrorum nominũ fama redacta eſt,
audaciam iſtam excuſet, (ſi neceſſarius conatus pro-
pulſandi tam grande malum audaciæ nomine notari
debeat) ſimulque P.^tem tuam inclinet, vt hanc noſtrã
petitionẽ æqui bonique faciat. Videmini R^de cum-
primis pater tu & alij firmiſſimè etiamnum aſſeue-
rare, & indies magis magiſque inurgere, nos om-
nes crimen et cenſuras ſchiſmatis contraxiſſe, propte-
rea quod ante Breuis Apoſtolici aduentum, aut eiuſ-
dem certam, et indubitatam notitiam authoritatem
tuam non plenè admiſimus.

Vtinam ergo dilectiſſimè Domine, tibi cordi
eſſet ad perfectam veritatis diſquiſitionem, et contro-
uerſiæ pleniorem diſcuſſionem, copiam nobis facere
conferendi, ratiocinandi, et de rei veritate diſputandi
ſub ijs conditionibus quas inferius proponemus.

Vrbanitatis quidem ratio quinimo et obedientię
regula prohibent, ne teipſum (R^de Pr.) nominemus
aut rogemus vt diſputantis vicem obeas, cum ſis ipſe
ſuperior. Cęterum ſi ſtudio aut deſiderio teneariſ ad-
iutrices manus huic negotio interponẽdi, quò liqui-
dius, et certiùs controuerſiarum cardo diſcernatur,
hanc nobis gratiam impendio gratulabimur, quippe
qua abundè nobis ſatiſfactum erit, quibus nihil opta-
tius accidere poſſit, quam vt omnia et ſingula quæ
momentum aut pondus habitura videantur, in medi-

curr[illegible]roferantur, ac nobis acriter ac pressè quoad eius d[illegible]eri conuenit, ad veritatis indaginem opponantur.

Enimvero si recte nosipsos intueamur haud-quaquam ij sumus qui aut appetimus subdolè per errorē seduci, aut scientes prudentesq; in ignorantia permanere, neq; quidquā est omnino (si modo specie recti decepti erroribus non implicemur) quod vehementioribus votis discupimus, quam vt designatum crimen ijs rationibus muniatur, quæ errorem nostrum convellere, & labefactare præ cæteris videantur. Inter omnia autem quæ a nobis morosius disquirentibus deprehendi possunt, hæc nobis via valentissima & expeditissima visa est, qua & delusi errorem comperiant & dissidentes recōciliata gratia in concordiā redeant. Etenim conscientiæ legibus tenetur quisquis ad veri agnitionem, si id liquidò innotescat, agnitio autem veri satisfactionem elicit, satisfactioni demum ea vis inest quæ et omnes veterum iniuriarum dicas penitus rescindat, et vnionem in posterum & amorem firmiter stabiliat. Quæ duæ res cum adeò sint salutares ac geminæ procreatrices & alumni pacis, fieri haudquaquam potest, quin permulti incredibili hinc lætitia, et spirituali gaudio cumulatissimè perfundantur. Quocirca (R^de imprimis Pr.) si isthanc veritatis investigandæ viam, et methodum tuo adductus iudicio ratum facere dignaberis, idque nobis modo, moreq; qui tibi videbitur optimus significādū curabis, ipse sane nos nuncius plurimum recreabit, et ad officiosissimam tibi gratiam ob hanc benignitatem habendam perpetuo obstringet. Neque id immerito,

immerito, nomina ſiquidem noſtra tam miſerandum in modũ conſauciantur, et eadẽ ipſa vulnera tam frequẽter, et duriter refricantur, vt niſi hac ratione lites, et diſſidia recte componamus, nullum (eheu) remedium aliud nobis relinquitur, quam vt vel infamiæ maculis inſperſi perpetuò malè audiamus, vel areptis calamis ad noſmet ſcriptis defendendũ pro virili accingamur. Qui procedẽdi modus metuẽdus prorſus vtriſq; videri debeat, cum Apologiam noſtram reſponſio ſubſequetur, reſponſionem autem Replica excipiet, hæc vero de integro novi antigraphi tragediam concitabit, ſicque controuerſia in circulum devoluetur, cui nullus omnino exitus, niſi forte deplorandus ille cuius meminit Apoſtolus cum dicat. *Quod ſi inuicem mordetis & commeditis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Ad quam voraginem declinandam, & inanem temporis iacturam fugiendam (vt de ſcandalo interim taceamus) ſubmiſſione quanta poſſumus maximâ R.am tuam imploramus, vt & ipſe concedas, & patres ſocietatis ad illud ipſum ſollicites, liceat ſcilicet nobis hac via (multo cæteris expeditiori & tranquilliori viſa) altercationes omnes dirimere ac terminare.

Cum itaq; delectiſſime Domine petitionem noſtram iam propoſuerimus, & deſideriorũ noſtrorum quoddam experimentũ guſtandũ prębuerimus, id vnum ſcilicet reſtat, vt quam ſupplicibus verbis paternitatem tuã exoremus (quod quã officioſiſſimis poſſumus animis præſtamus) ne verba noſtra aliorſum quã dicta ſunt inflectantur, cum propoſitum noſtrum eò tantũ ſpectat, vt cunctis innoteſcat quam medul-

litus cupimus amicam discussionem & examen causæ, vt quid in patrocinium nostræ partis a nobis dici, quidq; in cõtrariã opponi possit, propalam intelligatur, atq; ita controuersia hinc inde luculentèr discussa, ipsa veritas eluceſcat, & contentiones exortæ in æternũ emoriantur. Quocirca cum hic vnicus sit nobis destinatus scopus, in quẽ animos & consilia intendimus cum spe veniæ, & sub arbitrij tui censura propositus, nihil esse causæ confidimus cur timeamus ne hæc nostra supplex petitio provocatio appelletur, aut necessaria defensio voluntaria oppositio, aut satisfactio aliorum obedientiæ violatio, aut demum animarũ nostrarũ quies (quã hac ratione querimus) in superiores contumacia, & authoritatis contemptus perperam nuncupetur.

Quæ profecto res statum nostrũ calamitosissimũ redderet, si adeo essemus afflicti, vt acerbitates deplorare cogeremur, & hoc ipso ægrius multò affligeremur quod doloribus leniẽdis operas adhiberemus. Sed meliora speramus, nec eò a nobis hæc dicta velimus existimes (R^da admodũ pater) quod fides, candor, aut æquanimitas in exponendo tua nobis in dubium veniat, sed quoniã presentiũ tenor pluribus per te communicandus est, quorum fortassis aliqui eo sunt ingenio, vt dicta nostra in aliã partem atque nos destinauimus, rapiant, ea propter confidentiores fuimus in explanando, quod in deteriorẽ partem nolumus libenter deflecti. Ad extremũ (Venerande domine) cũ petitiones nostræ sufficienter vti speramus modo sint expositæ, Venia si quid hac in re a nobis sit peccatũ quã humilmẽ petita, & omni officij, & obsequiorum

ſequiorũ genere tibi ex animis delato, pluribus in preſentiarum ſuperſedebimus.

Oblatæ diſputationis conditiones.

1 VT ex vna parte, P. Garnettus P. Liſterus & quoſcumq; ex ſocietate illis viſum fuerit ſibi adiungere opponentes, diribitores, & diſputatores conſtituantur: Ex altera verò tres ex Præsbyteris noſtris in hoc officium deſignandi.

2 Vt fundamenta, rationes, argumenta, reſponſiones, & replicę vtrinq; habitæ poſt plenam diſcuſſionem, ex vtriuſque partis conſenſu ſcriptis protinus tradantur.

3 Vt delectus fiat duorũ vel trium ex ſenioribus Aſſiſtentibus cum R^do viro D. Dolmano, qui vt arbitri audiant, & determinent de momento veritatis & authoritate omnium quæ dicentur, vel adducentur vtrinq;. Preterea, vt in tua poteſtate ſit (R^de Pater) admittere ex laicis, vt diſputationi interſint, quos omnibus perpenſis circumſtantijs præ cæteris ad id idoneos iudicaueris.

4 Vt quiſquis illorũ, quibus lites dirimendi arbitrium delatũ fuerit, fideliter promittant in verbo Sacerdotis ſe laturos ſententiam ſecundum rationum, aut probationum nervos, provt illi conſcientię dictauerint, mora, fuco, mitigatione, & omni inęqualitate ſepoſitis.

5 Si dicti Arbitri, ac diribitores actionẽ noſtram ſchiſma, noſq; ſchiſmaticos fuiſſe iudicauerint, tum vt venia nobis flexis genibus a R.^da tua, & a patribus ſo-

cietatis ſuppliciter petenda ſit, eo quod contrariũ antehac defenderimus contra veritatem a vobis illiſque aſſertam. Si vero e contrario iudicauerint nos ſchiſmatis nota indignè invſtos, tum vt ſocietatis patres preſertim author libelli de ſchiſmate agnoſcat errorem, reſcindat tractatum, & nobis pro rata ſatisfaciat ſecundum nimirum infamiæ & iniuriarum quam ſuſtinuimus grauitatem.

6 Vt ſit altervtri parti licitum abſque offenſa, & prohibitione poſt ſententiam latam, & predicta adimpleta, quęrere ſi viſũ fuerit, reſolutionẽ differẽtiarũ ab academijs vltramarinis ex vera relatione dictę diſputationis eiuſdemq; fundamẽtorũ, rationũ, probationum, & argumentorum, adhibitis diſputantium, & arbitrorũ (in veri teſtimoniũ) ſub manibus proprijs approbatione, & cenſura, (vt relatio cum autographo per omnia conſentire intelligatur, & nullus ſuſpitioni fraudis relinquatur locus, addendo, mutando, aut detrahendo) & demum, vt nullus diſputantium vel diribitorum renuat nomen ſubſcribere ſi id ab eo in hunc finem petatur.

12. & 17. *Febr.* 14. *Mart.* AD hæc tribus literis ad quoſdam particulares Presbyteros reſpondit D. Archipresbyter primo quod petitio hæc tumultuoſa eſſet quærimonia. Secũdo quod preſcriptiones (ſic appellans ſupplicationẽ iſtam) tam eſſent inanes debitæ conſiderationis, quam ſpiritu tumultuoſæ preſumptionis efflatæ. Tertio (quo & omnes admonitos vellet) ſi vnqã (inquit) poſthæc exploratum habuero, quod vel verbo, vel ſcripto enormem veſtrã inobedientiam tanquam

quam expertem peccati iuſtificetis (quod & ſignum eſt defectus gratię, & defenſio peccati, quę ſumma ſuperbia eſt) ſuſpendā vos ab officio veſtro, tanquā indignos, qui eo fungamini.

IN has igitur anguſtias adducti, vt nec verbo nec ſcripto liceret nobis cauſam noſtrā agere, ad Academiam miſimus pariſienſem, vt tantorū virorū ſententijs muniti tranquilliores redderemus cōſcientias noſtras, & ſatisfactio illa Catholicis ab alijs daretur, quam nobis ſub pæna incurrendi cenſuras dare non licebat. Reſolutio autem quam dederunt Theologi pariſienſes hæc eſt quæ ſequitur.

Anno Domini, Milleſimo ſexcenteſſimo, die 3. Maij, propoſitum fuit facultati Theologiæ Pariſienſi, quod literis cuiuſdam Illmi : Cardinalis, quidā ſuperior Eccleſiaſticus in regno quodā conſtitutus eſt, cū titulo & dignitate Archipresbyteri, vt haberet authoritatem & iuriſdictionem ſuper omnes alios Presbyteros in eodem regno commorantes. Cardinalis etiā in illis ſuis literis declarauit, ſe id feciſſe iuxta voluntatem & beneplacitum ſummi Pontificis.

Multi autem ex illis Presbyteris recuſarunt ſubſignare authoritati eiuſdem Archipresbyteri privſquā ipſe obtinuiſſet Literas Apoſtolicas confirmationis ſuę tenorem continentes, tum quia novū omnino erat, & in Eccleſia Cātholica hactenus inauditū, illud genus regiminis, vt Archipresbyter vniverſo regno preeſſet, & talem iuriſdictionem haberet in ſingulos eius regni Sacerdotes, tum etiā quia ex quibuſdam

verbis illarum literarum Illmi Cardinalis, visi sunt sibi videre talē Archipresbyterum & authoritatem eius ex falsa informatione a summo Pontifice fuisse concessam : tum deniq; quia in electione illius Archipresbyteri, et consiliariorum eius magnā aduerterunt extitisse personarū acceptionem. Propter quas et alias non nullas rationes Sacerdotes illi miserunt ad summū Pontificē nuncios, qui has suas difficultates ei apperirent, vnaq; significarent se paratissimos esse in toto hoc negotio, alijsq; omnibus suæ sanctitati semper obedire.

Archipresbyter vero, et qui ab eius parte stant, alios Sacerdotes schismatis accusant, quod literis Cardinalis, quas etiā ex summi Pontificis voluntate exaratas dicit, parere detrectauerint.

Quæstio igitur est, an illi Sacerdotes sint schismatici? Et si non sint, an grauiter saltem peccauerint?

Viri principes facultatis Theologiæ Parisiensis, selecti a tota facultate, congregati in domo maioris Apparitoris sui, anno et die suprascripto, re maturè considerata, ita censuerunt.

Primo, illos Sacerdotes qui distulerunt obedire ob dictas causas; non esse schismaticos.

Secundo censuerunt illos, eo facto in se spectato, non peccasse prorsus.

De mandato dominorum Decani, & Magistrorum nostrorum, deputatorum & selectorum sacratissimæ facultatis Theologiæ Parisiensis.

DELACOVRT.

Quam primum ad nos transmissa esset Theologorum horũ in casu nostro sententia, amicis nostris eam communicauimus, plurimisq; inde satisfactum est abundè, quod non latuit D. Archipresbyterum, vt igitur huic etiã occurreret, et ne Doctissimorum Theologorum iudicio ad famam nostram tuendam vteremur contra eos, qui nos sciſmatis inquissimè insimularunt hoc statim promulgauit decretum.

Rdi patres & fratres.

CVm post condemnationem duorum legatorum atq; omnium complicum suorum Romæ, confirmatasq; per Breue Pontificium literas Cardinalis tanquam *Validas ab initio*, condemnationem in super, et invalidationem eorum omnium quę in contrarium facta erant, nonnulli inquieti ad Academiã Parisiensem secreto miserint, indeq; se recepisse pretenderint, aut receperint resolutionem quandã, quod neq; sciſmatis crimen incurrerint, nec peccatum aliquod non parendo authoritati meæ commiserint. Cum etiam manifestum sit repugnasse illos atque in inobedientia sua obstinate perstitisse postquam ipsis voluntas expressa S^mi innotuisset per legatos, quos miserunt, qui tum ex incarceratione sua, tum etiã ex relatione Ill.^rum Card. Caiet. & Burghes. (in ipsorum causa iudicũ constitutorum) hoc ipsum dedicerunt & omnes hic apud nos ad Superioris sui quietã acceptationem adhortati sunt tanquã ex S^mi speciali scientia

constituti, & ordine absoluto absq; aliqua dependẽtia ab eorũ consensu, ita vt pretextus ille de inquirenda Smi voluntate friuolus omnino in ijs fuerit, qui apud nos erãt. Ex quibus apparet parisienses falso atq; fraudulẽter (vt videtur) in hac causa informatos; quãdiu enim non recusauerunt superiorem qui ex voluntate Smi (ipsis nota) constitutus erat nunquam dicebantur Scismatici, ex quo autem agnouerint suum superiorem non sunt habiti alij quam seditiosi, quatenus scilicet Smi ordini restiterint, pacemq; & tranquilitatem Clero & laicis Catholicis optatã disturbauerint, nec ab vtroq; horum criminum adhuc purgare se potuerint. Propterea in dei nomine Amen. Nos Georgius Blackwellus Archipresbyter Angliç, & protonotarius Apostolicus ex authoritate nobis sufficienter, & legitime commissa precipimus strictè in virtute obedientiæ, & sub pæna suspensionis a diuinis, & amissionis omnium facultatum ipso facto incurrendarum omnibus Ecclesiasticis personis, omnibus autem laicis catholicis sub pæna interdicti similiter ipso facto incurrendi, vt neque directe, neque indirecte verbo, vel scripto tueantur, aut defendãt censuram Academiæ parisiensis, siue ea verè data, siue ficta sit, siue *ex vera informatione*, siue secus cũ in sedis Apostolicæ dignitatis preiudicium, Breui suç Stis, sententiæ insuper iuridicè datæ a duobus cardinalibus in causa nostra constitutis iudicibus, tum demum communi nostræ paci tãtopere a sua Ste desideratæ manifestè contraria sit. Atque hæc sub prædictis pænis, atque etiam grauioribus ad Smi beneplacitum, inuiolabiliter obseruari præcipimus.

His

His vero non intendimus famosissimam Parisiorum Academiam vlla ratione dehonorare, verè enim existimamus illos aut talem omnino non dedisse cẽsuram aut certe ex falsa informatione, nec sententiam Cardinalis cognoscentes nec expressam illam a Smo factam confirmationẽ priorum literarum per quas authoritas nostra nobis est deriuata, quorum deo volente, vt certiores fiãt ex curia Romana Breui efficiemus. Atq; ita de obsequio vestro erga superiores vestros nihil planè dubitans, cesso vlterius vos instruere, aut hortari deũ precatus, vt nos omnes benedicat. 29. Maij. Anno. 1600.

Georgius Blackwellus Archipresbyter Angliæ & protonotarius Apostolicus.

LOngissimè quidẽ expatiandi hic datur campus, sed breuissimè quędã tangemus, quibus pregustatis Illmæ Dnes vestræ sine aliqua difficultate percipiant, quomodo res nostræ in Anglia procurentur.

Condemnatos duos tantum nominatim, & ob causam particularem (eamq; nunquam contra ipsos probatam) declarat decretum inferius positum. Imo Illmus Burghesius in literis suis inferius etiam positis non vult sententiam illam exilij aut relegationis dici sed iussionem quandã, vt Presbyteri illi abstinerent ad tempus a missione Anglicana ad cautelam, quam ibidem exprimit, ne scilicet maiores ex profectione discordiæ orirentur. Deinde Breue Apostolicũ, vt ex superius posito apparet, neq; validas ab initio (vt hic

 citatur)

citatur) ait literas Cardinalis, ſed pluribus in locis contrarium potius continet, vt in prefatione, & non longe a fine vbi pro preſenti & futuro loquitur, neq; invalidat preterita, ſed quæ poſtea in contrarium fierent vt ibidem ſtatim ſubijcitur. Pręterea, laborarunt quidem Ieſuitæ (ſub quorum cuſtodia fratres noſtri erant Romæ) vt nobis per literas ſignificarent quod D. Archipresbiter ſignificatum hic affirmat, ſed aliud ab eis obtinere non potuerunt, quam quod vellent ſcribere ab Ill^mis Cardinalibus Caet. & Burgheſio & alijs ſe id accepiſſe, & cum fratres noſtri, non poſſent quicquam ad nos tranſmittere, niſi per Ieſuitas illorũ cuſtodes, vnas accepimus literas, eaſq; ab altero tantum illorum antequã Breue Apoſtolicum ad manus noſtras veniret, a Breuis autem huius prima omnino receptione vſq; in hanc horam illi paruimus. Quantus demum fuerit doctiſſimorum Pariſienſium contemptus veſtrum ſit iudicium. Quomodo enim ſaluã rem fecit D. Archipresbyter cum Academiam Pariſienſem in fine laudaret, qui a tota facultate Theogiæ ſelectorum etiam recte informatorum iudicium expreſſis antea damnauerat verbis, datumque in preiudicium ſedis Apoſtolicę, & manifeſtè contra Sanctitatis ſuæ Breue addiderat.

SEd neque hic ſiſtebat D. Archipresbyter alio ſiquidem decreto idem ſub grauiſſimus pęnis hoc verborum tenore prohibuit.

Per literas inſtitutionis ſuæ habet poteſtatem ſolum in ſemi-

Prohibemus in virtute Stæ obedientiæ omnibus prębiteris, & ſub pęna ſuſpẽſionis atq; interdicti (quarũ abſolutionẽ nobis ipſis reſeruamus) addo etiã amiſsionis omniũ facultatũ ipſo facto incurrendarum,

rendarum, Laicis vero ſub pæna interdicti ipſo quoq; facto incurrendi, ne quiſquam illam preteritam inobedientiam, vnde tanta inter nos extitit pacis perturbatio quouis modo, verbo, vel ſcripto directè, vel indirectè defendere præſumant.

nariorum Sacerdotes vt ipſos ſuſpendat & facultatibus ſuis priuet.

Vt autem omnem prius eximeret ſcrupulum, omneſq; non eſſe eruditiſſimorum Theologorum Pariſienſium ſententiæ adhærendum cognoſcerent, quid & quo iure ipſemet hanc queſtionem definiviſſet his verbis ibidem declarauerat.

Huiuſmodi autem pœnæ ne Papa quidem Ioan. 22. illos afflixit, qui cum ipſo ſentire noluerunt in quadã controuerſia, quam etiam ex cathedra voluiſſet definiuiſſe.

Nos authoritate nobis a Smo D. N. commiſſa pronunciamus, ac declaramus primas illas literas inſtitutionis noſtræ omnes Catholicos in Anglia vere obligaſſe, eoſque qui noſtræ authoritati ſcienter quovis modo repugnarunt vere inobedientes fuiſſe ſedi Apoſtolicæ, & in noſtrum officium per eandem ſedem inſtitutum rebelles.

Satis quidem ſuperque cautum videri poſſet, ſed neque adhuc poſt hanc noſtram atq; Pariſienſium condemnationem ſecurus erat D. Archipresbyter. Audiuerat enim plurimos Sacerdotes iam iam ad ſedem Apoſtolicam appellationem facturos, horum enim aliquos antequam appellarent facultatibus ſuis priuauit, & vt alios terreret ne numerus illorum creſceret, qui ſua nomina huic appellationi ſubſcriberent, predicto decreto hanc etiam inſeruit prohibitionem.

Prohibemus autem ſub pæna ſuſpenſionis a diuinis, & amiſſionis omnium facultatum, ne quis Sacerdos vllo modo ſuffragia vel ſcripto, vel verbo danda ambiat, vel det ad quamcunq; cauſam,

Iam, quam antea nobiſcum, vel cum duobus ex aſſiſtentibus noſtris non conſtet fuiſſe communicatam. Hucuſq; in decreto.

Appellationi (his non obſtantibus) 30. Presbyterorum nomina, qui antea conſenſum ſuum dederant, appoſita ſunt, quorum aliqui poſt predicti decreti notitiã Domino Archipresbytero ſignificarunt quid facturi eſſent, ex qua occaſione ipſe in literis ſuis ad Aſſiſtentes datos poſt hanc appellationẽ ſenſum predicti decreti his verbis manifeſtauit. Cognoſcite (inquit) in hunc fuiſſe meũ ſenſum, quem ſic declaro, vt communicationem facerent collectionis ſuffragiorũ cum ſuperiore, cuius conſenſus exquirenmus, & habendus eſt; atq; illud precipue intendimus; quod decretum antecedentibus temporibus confirmatũ fuit authoritate Illmi B. M. Cardinalis Caietani. Atque ſecundũ quam expoſitionẽ incurriſſe cenſuras quoſdam declarauit, alios omnibus priuauit facultatibus, nec venerabili quicquam deferens canitiei, nec confeſſioni aliquorum in carceribus ob fidem Catholicam quamplurimos annos detentorum, inter quos is eſt ſi quis alius in Anglia propter ſuam in fide Catholica conſtantiam, atq; eruditionẽ etiam apud aduerſarios noſtros in ſummo honore eſt, quippe qui non ſolũ in carcere quod frequenter contigit, ſed aliquando etiam publicè in Academijs contra omnes illam oppugnantes Catholicam fidẽ acerrime defenderit.

18. Nouemb. 1600.

Mortuus eſt Illmus Caietanus in An. 1599.

Atq; hactenus hęc de ijs, quę in Anglia nobis cõtigerunt, ſint dicta. Ea modo neceſſe eſt quam breuiſſime tangamus, quę foris geſta ſunt, ne horũ quicquã Illmas & Rmas Dnes veſtras lateat, aut ſentẽtia exilij, &

relegationis

relegationis lata contra fratres nostros, quos Romam misimus, vt difficultates nostras Smo explicarēt, causā nostrā vobis reddat suspectam. Solent enim aduersarij nostri culpam (vt loquuntur) nostrā fratrū nostrorum metiri pœnā, quorum opera pax in Anglia inter nos constituta est, dissidia enim presentia, neq; ab illis neque a fautoribus illorum, sed a Iesuitis, & D. Archipresbytero ortū habuerunt, vt superius ostendimus: ista vero dum prudentiæ vestræ considerāda proponimus, humilibus pro illorum restitutione votis supplicamus, in illis enim etiam quando pax restituta esse videbatur, & vsq; modo grauissimè affligimur, eoq; magis, quod nullo vnquam conuicti crimine (vt ex inferius positis clarissime apparebit) post multos in vinea domini exantlatos labores, & in reducenda patria sua ad fidem Catholicam grauissima pericula in exilium pulsi sint, & relegati ad alienam religionē fame ibidem perituri. Sic autem res istæ se habuerunt.

Die 11. Decembris an Salutis, 1598. Romam appulerunt fratres nostri R. nimirum D. Gulielmus Bishopus, & Rob. Charnocus vbi Illmos Cardinales Caietanum, & Burghesium Protectores conuenerunt, inueneruntq; vtrumq; quidem accensum desiderio intelligendi quidnam Romę acturi essent, hunc autem propensum ad omnia, quæ ipsorum consilia promouerent, illum plurimum contra ipsos incensum; attamen ne & Protectorem, & Archipresbyteri creatorē in causa ista contemnere viderentur (mandato eius parentes) quid in ea haberēt dicere in scriptis ei offerre decreuerunt. Octo interim post dies (quo intervallo tum propter celeberrima natalis Do-

mini noſtri feſta, tum etiam propter lugubrem illam Tiberis invndationem huiuſmodi negotijs attendere nequiuerunt) a D. Acrifio Isbirris ſtipato, & Ieſuitis ſub conductu patris Parſoni nocte intercepti ſunt, & quia epulis in natali Sti Thomæ Cantuarienſis fieri conſuetis in Collegio Anglico Romano (ad quas tanquam ad Abſalonicas cum alijs pridie ibidem capiendi invitabantur) neq; fames fortaſſis exaturari, nec poculis extinqui ſitis poterat, ad idem Collegiũ eodem feſto vltimũ in curru vehuntur ferculũ. Omnia illorum ſcripta eadem nocte ſub ingreſſum Collegij in nomine Smi ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ extorta ſunt. Deinde vero ſub arctiſſima P. Parſoni cuſtodia poſiti neque cum inuicem loqui, neque alios in his conſtituti auguſtijs conſulere permittebantur; ab eodem P. Parſono examinati ſunt, qui, quæ voluit, P. Titchbournum Ieſuitam (notarij vices ſupplentem) iuſſit ſcribere, & delere quæ erant ſcripta. Interim vero neque diebus dominicis, neque ob memoriam circumſciſionis & Epiphaniæ domini ſacris miſſam audire, ſed neque poſtea ad altare accedere poterant, quamuis ad omnem ex timoratis cuſtodum ſuorum conſcientijs tollendum ſcrupulum ab omni quacunque ratione incurſa cenſura abſolutionem accepiſſent, cum tamen in choro, non in Eccleſia, toto tempore quo erant incarcerati omnes celebrarent.

Die vero 17. Februarij comparuerunt (non quidem vt actores, ſed ſceleris alicuius pergrandis rei coram Illmis Cardinalibus Caietano & Burgheſio in cubiculo P. Parſoni, quo tempore alterius (altero

altero recluso) lectę sunt partes quædam examinationis à P. Parsono destignatæ. His intererant dicti cardinales (vt iudices) D. Acrisius (qui illos examinasse debuisset) P. Parsonus (illorum custos & examinator) pater item Titchburnus qui cum in traditione & captura nostrorum, & in examinatione illorum fidelem patri Parsono nauasset operā, nunc tandem notarij vices etiā coram Illmis cardinalibus habebat. His peractis P. Parsonus dimitti eum iussit, qui reclusus erat & vtrumque simul adduci córam cardinalibus, atque etiam procuratores D. Archipresbyteri. Sub horum ingressum quædam prefatus est Pa. Parsonus & cum explicuisset Illmis cardinalibus, qui nam essent, & quo loco procuratores isti & quod libellum haberent contra fratres nostros ipsis offerendum, statim illum in silentio porrexerunt procuratores. Lectus autē per P. Titchburnum libellus postulatus est a nostris summa cum confidentia, vt ad omnia ibidem obiecta respōderent, sed procuratorum precibus cum essent facile victi iudices (omnia vti tunc pretendebatur in pace composituri) non est ipsis traditus. Altercati autem aliquantisper procuratores ambo simul cum nostris, vnus contra vnum de protectoris mutatione, dimittuntur & nostri propius accedere iussi sunt. Tunc Illmus Caetannus ad hunc sensum nostris effatus est: Audiuimus vos, examinationes vestras, atque etiam procuratores, & nullam in vobis inuenimus causam aliam, quam quod aliqui in Anglia ex hac vestra ad vrbem profectione scandalizati sint: quibus cum nostri respondissent doluisse se siqua per ipsos scādala veniss̄et, & paratos satisfactionē illis dare

Richardus Haddocus & Martinus Arrains.

Significarūt hunc procuratores non sine P. Parsoni notitia fratres nostros ad obiecta nec potuisse quicquam, & multo minus voluisse respondisse, sed penituisse se & veniā petiisse, si scandalum aliquod preter intentionē suam dedissent.

in pace dimiſſi ſũt. Sed diſcedẽte Illmo Burgheſio pre-
ter expectationẽ ſuã ſub eadẽ (qua antea) recluſi ſunt
cuſtodia, quod alter nimia (vti tunc aiebant Ieſuitæ)
cũ alacritate libellũ petijſſet vt illi reſponderet, alter
vero ſocius eius eſſet, vtriq; tamen poſt vnum aut al-
terum diem libertate donandi. Alias (his nihil pro
illis facientibus) ſeptem hebdomadas ſub eadem mã-
ſerunt cuſtodia, quotidie enim expectabantur infor-
mationes aliquæ contra eos, quas in nomine Smi
Illmus Cardinalis Caeta. per literas 10. Nouemb.
datas ex Anglia Archipresbyterum iuſſerat ſcribere.
Et ne otioſi omnino interim viderentur Ieſuitæ, nul-
læ erant laicorũ diſturbationes in Anglia, nullæ Preſ-
biterorum, etiam eorũ qui a nobis ſtabant, interce-
tiones, quas eo ſaltem conſilio noſtrorũ (ſub ſua cu-
ſtodia tunc tẽporis poſitorũ) Ieſuitæ non dicerẽt fac-
tas, vt in carcere conſtituti maiore cum ſecuritate ip-
ſorum negotia promouerẽt. Protulerunt etiam libel-
lum prẽfatum, & modo mandaſſe Cardinales aſſeru-
erunt, vt vtriq; ſeparatim ad illũ reſponderent, cum
vero hoc vnico euernatũ oſtẽdiſſent libellum, quod
ſcilicet D. Archipresbyter primo die manifeſta, & cõ-
feſſa vſus fuiſſet falſitate in ipſa authoritatis ſuæ diuul-
gatione, vlterius non vrgebantur libello reſpondere
ſed hẽc noua pretẽdebatur cauſa, cur ſub cuſtodia ad-
huc detinendi eſſent (quã vera Illmæ D. V. norunt)
quod ſcilicet Smus eas contra ipſos tum ex Anglia, tũ
ex Belgia accepiſſet informationes, vt ipſomet etiam
P. Parſono optimum de ipſis perhibente teſtimoniũ
adduci nollet, vt crederet Catholicos fuiſſe, multo
minus dimitteret, ſed ad maiorẽ cautelam, & omnem
plane

plane remouendum ſcrupulum, cauſam illorum ita a vobis omnibus ſimul diſcutiẽdam iudicaret, vt nunc vnius nunc alterius veſtri abſentia in cauſa eſſet, quod tam diu in carceribus detinerentur.

Tandẽ aliquando literas accepiſſe Illum Caietanũ ex Anglia, non ſine zelo quodam vrgebatur, quibus ſignificatũ eſt alterum negotijs ſecularibus ſe immiſcuiſſe, alterum vero rem cum matre, & filia habuiſſe, atq; hoc vltimũ quẽdam Presbyterum ſub iuramento confirmaſſe in preſentia duorũ Presbyterorũ, qui ipſum hoc iuraſſe teſtati ſunt. Sed cum P. Parſonus vidiſſet fratrẽ noſtrum paratum iurare ſe nunquã cum aliqua omnino rem habuiſſe, & non duos Presbyteros vocare, qui teſtarentur ipſum hoc iurare, ſed deũ atq; omnes angelos, qui ipſum ſecundum veritatem iurare cognoſcerent, etiam iuſſus à fratre noſtro hoc proſequi contra ipſum ſi vellet, prioris ſui zeli penitus eſt oblitus.

Octauo igitur Aprilis (nulla prorſus mentione facta eorum, quę in ſanctiſſimo inquiſitionis officio agitata dicebantur, vel quid Dnes veſtræ Illmæ omnes ſimul ad vnum in pretenſa cauſa concluſerant) ſub mitiore cuſtodia poſiti ſunt, & iuſſi a D. Acriſio de negotijs ſuis cogitare, propter quæ ad vrbem venerunt. Quę dum ſerio, & in ſimplicitate ſua inter ſe tractare cæperunt, ad ipſos tulit P. Parſonus Breue quoddam Apoſtolicum 6. Aprilis datum, triduo antequam permitterentur ſimul eſſe, & ſua agere iuberentur. Quo viſo negotijs his ex toto deſtiterunt, & Breue illud ad nos miſerunt.

Vicesimo secundo Aprilis D. Acrisius ad Collegium reuertitur mentem Illmorum Card. Caet. & Burghesij nostris declaraturus, & hęc tria (quoad pax nobis restituta foret) obseruanda proposuit. Primum vt sine licentia ad patriam sub pęna suspensionis non reverterentur. Secundum, vt ad ea loca proficiscerentur ad quæ mittendi essent. Tertiũ, vt omnibus quibus possent modis pacem in Anglia procurarent. Atque hęc duo vltima solũ sub iuramento proponebantur obseruanda, nec vlla de pæna aliqua facta est mentio. Suggerente autem P. Parsono, hæc omnia repetere cepit D. Acrisius & (ac si Cardinaliũ mens iam nunc mutata fuisset, & secreto quodam modo ipsi communicata) P. Parsoni sequutus suggestionem omnia tria sub iuramẽto obseruãda proposuit, quamuis antea ex quadam scedula illa proposuisse videretur. His vero sic explicatis, quod loca ea futura essent, quæ nostris non displicerent, & non aliam quam moralem diligentiam adhibere in pace nostra procuranda tenerentur, libertate eos donatos declarauit D. Acrisius, & post 10. vel 12. dies, quibus loca sacra possent visitare, ab vrbe discedendi factam potestatem.

Eodem die alter dimissus est, alter vero sub custodia detentus (hanc enim fuisse mentem Cardinaliũ asseruit P. Parsonus, nulliscq; flecti posse precibus, vt mutuę essent consolationi in longissimo itinere, atq; etiam periculosissimo tum propter calores ingruentes, tum etiam propter pestem pluribus in locis grassantem, vt de latronũ militũ atq; assissinorũ periculis nihil dicamus, nulla plane status clericalis & Sacerdotalis habita ratione, qui dũ Presbyteri per plures

regiones

regiones coguntur vel ſoli vagari, vel ſibi ignotos quoſq; in via aſſociare non potuit non maximo eſſe populo Chriſtiano ludibrio, atque etiam grauiſſimo ſcandalo.

Poſt aliquot dies P. Parſonus plurimum turbari viſus eſt, atq; ſtupore plenus ad fratrem noſtrum quem adhuc ſub ſua detrinebat cuſtodia acceſſit, quo die & quoto menſis ad Collegiũ proxime veniſſe D. Acriſium diligenter quæſiuit, & ne quis error eſſet calendariũ conſuluit. Cum vero de die conveniſſent, & quotus eſſet menſis, plurimum ſe miratũ affirmauit cuius iuſſu aut qua authoritate die illo 22. Aprilis quæ ſuperius dicta ſunt, egiſſet D. Acriſius, literas enim quaſdam Illmi Card. Caietani, & Burgheſij 21. Aprilis datas, eodemq; 21. die ad Collegiũ perlatas, ſed nemine quicquam ſciẽte in ſuo vſq; ad id tempus deperditas cubiculo, iamiam inveniſſe ſe, & quãprimũ in illos incidiſſet attuliſſe, vt ex illis mens Illmorum intelligeretur. Excuſauit tamen tandem D. Acriſiũ hac ratione, quod Cardinales fortaſſis predicta dediſſent illi in mandatis 21. Aprilis, ſed eodem poſtea die mutaſſent conſilium, & preſentes ad Collegiũ literas miſiſſent. Harũ autem exemplar hic duximus inſerendum.

Decretũ Illmo ũ Card. Caet. & Burghesij de cauſa Gul. Biſhopi & Rob. Charnoci

Rdo in Chriſto P. Rectori vel Vicerectori Collegij Anglorum de vrbe.

Rde in Chriſto Pater vti frater. Cum audita his diebus atq; examinata duorũ Sacerdotum An-

glorum cauſa nobis a S.mo commiſſa, Guli. nimirum Biſhopi, & Rob. Charnoci, qui S.titatis ſuæ iuſſu per menſes aliquot in iſto Collegio detẽti fuerunt, viſum nobis fuiſſet nullo modo cauſæ Anglicanę expedire, vt dicti Pfesbyteri ſtatim ad eas partes reuertantur, vbi cõtrouerſias cum alijs ſui ordinis hominibus exercuerunt, id ipſum modo re cum S.mo collata eiuſq; deſuper voluntate iterum explorata, decernendum, atq; ſtatuẽdum duximus. Quapropter prefatis Guli: et Rober: Sacerdotibus S.tis ſuę noſtroq; nomine ordinamus, ac in virtute S.tæ obedientiæ ſub pæna ſuſpenſionis a diuinis ipſo facto incurrendis alijsq; cenſuris pæniſq; S.mi Domini noſtri iudicio infligendis ſtrictè precipimus, vt niſi de expreſſa S.tis ſuæ, aut Ill.mi C.lis Protectoris licentia Angliæ, Scotiæ, vel Hiberniæ regna pro tempore adire non preſumant, ſed apud alias regiones Catholicas, quibus a nobis preſcriptum eis fuit quiete, pacifice, ac religiosè vivant, curentq; tam literis, quam nuncijs, alijſq; modis omnibus quibus poſſunt, pax, vnioq; inter Catholicos Anglicanos tam domi, quam foris conſeruetur. Quæ ſi ipſi vere, ac rebus ipſis preſtiterint, citius deinde licentia reuertendi reſtitui eis poterit. Hæc vero interim legitime ab eis obſeruari, fideliterq; exequutioni mandari prȩcipimus, hocq; noſtro nomine R.dis V.a eis ſignificet. Datum Romæ ex ædibus noſtris die 21. Aprilis. 1599.

R. ę V.tæ.

Vti frater H. C.lis Caietanus Protector.

Vti frater C. C.lis Burgheſius.

EX his Rmi atq; Illmi Domine manifeste liquet, quam sine ratione aliqua in nos insultent, qui nos in socijs nostris ita his literis siue decreto Romæ condemnatos publicant, vt si Theologi parisienses decretũ hoc vidissent de crimine scismatis apud nostros nunquam nos purgassent. Quis enim vel nasutissimus ex his literis aliud colligere poterit, quã quod duo illi ibidem nominati presbiteri controuersias quasdam cum aliquibus sui ordinis hominibus per totum fere orbem exercuerint. Et properea exulare & relegari pro tempore debuerint. Cum enim non expediuisse premissum esset, vt dicti statim ad illas partes reuerterentur, vbi controuersias cum aliquibus sui ordinis hominibus exercuisse pretendebatur, non modo ex Angliæ, scotiæ & Hiberniæ regnis pro tempore sed ex alijs etiam omnibus pellendos decretum est, ijs solis exceptis apud quæ ex prescripto iudicum ipsis manendum esset, vel moriendum potius, cum nihil illis suppeditaretur quo vitam suam sustentarent.

Et certe si hinc non constaret euidenter aliam fuisse nostram, aliam huius sententiæ causam, vel ex eo saltem conuinci posset, quod, cum pax nobis vndiq; restituta prædicaretur, fratres hi nostri (quamuis primi parerent Breui Apostolico, illud ad nos, vt idem faceremus, transmitterent, & D. Archipresbiteri testimonijs frequentibus leue quid præ nobis committerẽt, in exilio & relegatione perituri fame permãserint.

Tandem ex subiectis ostendetur facilime fratres quidem nostros grauissimè punitos fuisse, causam

vero aliam non potuisse dari quam imaginariam istã, ne scilicet maiores ex profectione illorum in patriam orirentur discordiæ. Cum enim alter per literas præfatos Cardinales aliquoties in vanum rogasset, vt vel supeditarent ea, quibus vitam suam in exilio sustentare posset, vel de nullo vnquam conuicto crimine licentiam reuertendi in patriam permitterent, atque propterea necessitate vrgente a tanto grauamine appellasset, post alias adhuc ad Illmum Burghesiũ (mortuus enim tunc erat Illmus Caetanus) supplices literas vt pro amore illo, quem semper erga nostros pretendebat, omnia in pace cõponeret aut non indignaretur quod Appellatio ad Smũ facta esset, literas tandẽ accepit ab eodem Illmo, quas ideo his annexuimus & fratris nostri responsum, vt nihil deesset quod ad plenissimã cõtrouersiæ huius inter nos intelligentiam & fratrum nostrorum purgationem faceret.

Rdo in Christo vti fratri Roberto Charnoco presbytero Anglo.

Rde in Christo vti frater. Literæ tuæ, quas parisijs ad me die 25. Maij scripsisti de profectione tua in Angliam, tardius mihi redditæ sunt, eaq; causa fecit vt serius & responderim: optassem same vt satis ad me tẽpore fuissent transmissæ, quo profectionem illam tuam, antequam è Gallia exijsses, disuasissem, puto enim Su suæ ingratissimum fore (provt & mihi est) eius rei nuncium, cum ei contra obedientiam et expressam prohibitionem, et contra vestram

etiam

etiam iureiurando firmatam promiſſionem id factum ſit, & nouarum contentionum occaſionem prebiturum exiſtimetur.

Quod vero ſcribis neceſſe te duxiſſe, non modo in Angliam vt proficiſcereris, ſed appellationem quoq; faceres ab intollerabili grauamine (ſic enim loqueris) eius ordinationis, quam Ill^mas Card. Caiet. bo. me. et ego (facta prius a nobis relatione S^mo D. N. eiuſque deſuper voluntate explorata) tibi ſocioq; tuo ſtatuimus, nimirum ne ex ea prouincia, quam ipſe tibi delegeras (cum aliarū optio tibi preberetur) ſine S.^tis ſuæ, aut Ill.^mi Protectoris licentia Angliæ Regnum adires; nō video quę te neceſſitas adeo cogere potuerit, vt contra tam expreſſum ſuperiorum preceptum faceres, graueſq; inde cenſuras incurreres, vel quodnam grauamen intolerabile illud ſit, cum perhumaniter a nobis, ac benigne tractareris, & mitius multo quā rei grauitas multis poſtulare videbatur, vel quomodo tandem, decreto in iudicatum tranſacto, iure appellare poſſis, eoque magis, cum cōſtitutio illa, ac ordinatio ex S^mi D. N. ſcientia, & participatione emanauerit, nobis tantum interpretibus, ac iudicibus ab eo delegatis. Ego certe non impedio quo minus D. V. ſi voluerit ad S^m recurſum habeat, interim tamen (vt D. V. novit) cenſuris parendum eſſet, ne grauiora inde tum ſcandala, tum etiam peccata ex contemptu oriantur, preſertim ſi ex ingreſſu veſtro in Angliam lites, aut cōtentiones recrudeſcerent, quod iniquiſſimo ſane animo S^tem pro ſummo, pijſſimoque, quod habet concordiæ, ſtudio laturum eſſe non dubito.

Neque tantopere Dni V. culpam omnem imminuere, aut iuſtum, aut couſultũ ducerẽ, vt nullo vnquam ſe conuictum crimine exiliũ, ac relegationẽ pati queratur. Nam iubere vt ſacerdos aliquis a miſſione Anglicana ad tẽpus abſtineat, ne maiores ex profectione diſcordiæ oriantur, & licitũ, piũque per ſe eſt, neq; exiliũ, aut relegatio iure dici poteſt, de crimine vero non eſt hoc loco agendũ: nam neque mihi in animo eſt quicquam Dni V. ex probrare, neq; vobis veſtri purgandi cauſa conuenit iudices a Smo D. N. delegatos, qui cauſam Sti ſuæ retulerũt, oppreſſæ innocentiæ inſimulare.

Quare conſilium meum eſſet, vt quod in ſententia, atque ordinatione predicta ab Illmo Car. Caet. bo. me. meque preſcriptum eſt, hicq; Romæ a vobis promiſſum, ac receptum, vt quiete, pacifice, ac religioſe viuant, curentq; modis omnibus, vt pax, vnioque conſeruetur &c. id vere, ac rebus ipſis a vobis ſic pręſtetur, vt ex ſuperioris veſtri, qui in Anglia eſt, teſtimonio id etiam conſtet. Dni aut V. id conſilij darem (ſi me audiet) vt ad culpam iam commiſſam reſarciendã locum, quem reliquit mature repeteret, vt inde- cauſam ſuam iuſtius, grativſq; ageret, ne in Anglia manens, & cenſurarum Eccleſiaſticarum contemptum exercens grauiorem inde Stis ſuæ offenſionem incurrat.

Hæc vobis ex intimo loquor amore (vt nouit deus) cupio enim & vobis, & cauſæ veſtræ conſuli, quorum intereſt plurimum vt obediatur, & depoſitis animoſitatibus in mutuã redeatur concordiã, ne ſua iterum Stas ex rebus veſtris moleſtijs nouis affecta,

quas

quas ſuperioribus turbationibus grauiſſimas paſſa eſt, ſeuerius cogatur in turbationis authores caſtigationis ædere exemplum, quod de veſtra, veſtrorumq; preſumens virtute ſpero non futurum, & ego quacunq; in re potero, ne illud eueniat enitar, & vobis veſtriſque omnibus, (preſertim qui pacis, & concordiæ ſtudioſi ſunt) promptum, paratumq; ad officia omnia in rebus veſtris procurandis preſtanda ſemper me libentiſſime exhibebo. Quod cũ ex veſtro relatu, tum hiſce meis literis, vt intelligant etiam cęteri, percupio. Omniumq; ex animo orationibus me valde commendo. Romæ ex edibus noſtris, 15. Septembris. 1600.

R.dæ D.nis V.ræ.

Vti frater.

C. Card.lis Burgheſius.

R.mo atque Ill.mo Principi Carolo S.R.E. Cardinali Burgheſio.

R.me atque Illme Princeps.

LIteras veſtras Romæ datas 15. Septembris. 1600. proxime ſequentis menſis 21. ſtilo veteri Londini in Anglia accepi, quibus pari obſequio, quo ſcriptæ ſunt amore, iſtud do reſponſum. Non ſatis intelligo qua ratione nuntius profectionis meæ in Angliã Smo vel Cel. veſtræ ingratus eſſe debeat, cum neque clementiſſimum patrem, neq; ęquiſſimum iudicẽ latere poſſit, non eſſe minus neceſſarium panem viuenti,

quam pænam peccanti. Conſtitutus eſt ab Illmo Cardinale Caietano bo. me. Et a Cel. veſtra rector, vel vicerector Collegij Anglorum de vrbe per literas alterutri illorum dandas ex vtriuſque veſtri ædibus 21. Aprilis. 1599. qui veſtro nomine nobis ſignificaret quod Angliæ, Scotiæ vel Hiberniæ Regna ſine licentia pro tempore adire non preſumeremus, ſed apud alias regiones Catholicas, quibus a vobis preſcriberetur nobis quiete, pacifice, ac religioſe viueremus, curaremuſq; vt pax vbique inter Catholicos Anglos conſeruaretur. Si veſtri, vel altetius cuiuſquam nomine vnde ad vitam ſuſtentandam neceſſaria exvlantibus, & relegatis ſuppeditarentur alteruter ſignificaſſet, & hæc pręſto fuiſſent, pię decreti intentioni, graviſſimam, quomodocumque meritam, vtcumque tolerabilem pęnam imponentis non parens, cõtra obedientiam, & expreſſam prohibitionem feciſſe redargui potuiſſem, & tantæ iniquitatis vinculum non fuiſſet iuramentum, ſi quod de non proficiſcendo in patriam feciſſem. Iuramentum quidẽ ſuper eo inter alia exegit D. Acriſius. 22. Aprilis. 1599. ſuggerente hoc Pa. Parſono cum ſub ſola pæna ſuſpenſionis antea illud nobis propoſuiſſet, quam licet tunc cluderẽ fraudem, ad maiorem ſecuritatem vterque ab eo abſolui curauimus, cætera præſtitimuus. Deinde ſi verum ſit, quod D. Acriſio ab Illmo Ca. Caiet. & a Celſ. veſtra mandatum nullum datum fuerit, vel antea reuocatum, quam ipſe ad nos veniret, neſcio profecto quænam ſit illa promiſſio, quam iureiurando firmatam contra me quis vrgeat. Mandatum autem non accepiſſe a vobis D. Acriſium, vel antea revocatum fuiſſe, quam ad nos veniret tum teſtimonio P.

Parſoni

Parſoni, tum etiam ex ipſis veſtris literis rectori vel vicerectori collegij Anglorum de vrbe 21 Aprilis. 1599. datis liquido conſtat, horum enim alter-vtri negotium in illis commiſſum eſt, vt detentis in eodem Collegio quid executioni mandandum eſſet veſtro nomine nobis ſignificaret.

Neceſſe duxi tum in Angliam proficiſci, tum etiam appellationem prius facere, illud quidem, vt de neceſſarijs ad vitam ſuſtentandam mihi prouiderem, iſtud autem vt tam minus in huiuſmodi negotijs verſatis, quam magis expertis ſatisfacerem: quamuis enim cauſa dicta in ſe adeo fuerit ſufficiens, vt abſque periculo incurrendi cenſuras eccleſiæ (maxime poſt eius toties datam iudicibus noticiam & in vanum petitum releuamen) doctiſſimorum virorum opinione obſtructos ad patriam aditus aperiret, a pijſſima matre invitatus ad quam ab omnibus maxime ab oppreſſis appellandũ eſt, & concurrendum, vt eius vberibus nutriantur, authoritate defendantur, & a ſuis oppreſſionibus releventur, eo confidentius modo predicto grauatus appellationem feci, tum quod appellationi non minus pro minimis quam ſi pro maioribus fieret deferendũ ſtatuerit, tum etiam quod per totos fere 12. annos cum ſummo vitæ diſcrimine inter medios hoſtes pro eius dignitate certauerim. *De appel. cã. De appellationibus.*

Non erit igiter inpoſterum difficile videre, quæ neceſſitas me coegerit vel patriam meam adire, vel prouinciam derelinquere, quam mihi, non niſi vt minus malum delegeram cum aliarũ optio non præberetur (optabã enim in Gallia viuere). Gratias quidem & egi, & ago Cel. veſtræ, quod ex animo ad malum minus propenſo mitius multo quam rei grauitas,

tas vel aduersarijs fortassis nostris, vel minus vere de negotijs nostris informatis postulare videbatur, tractaremur, qui (vt nouit Cel. vestra) semper paratissimi fuimus ad omnia obiecta contra nos respondere, quod ne fieret ab accusatoribus petitum est, & ipsis a vobis concessum, quo tempore coram vobis accusati fuimus.

Cum autem odia restringi, fauores ampliari conueniat, illud *Pro Tempore non presumant sine licentia Angliæ, Scotiæ, vel Hiberniæ regna adire* per particulam *statim* recte explicari poterit, & decreto satisfieri, quod non statim profectus fuerim in Angliã, vbi controuersias non habuimus cum alijs nostri ordinis hominibus, vt minus vere suggestum videtur, & propterea decretum hoc per falsam causam obtentum. Decretum autem per falsam obtentum causam, aut per falsas allegationes ipso iure nullum esse novit Cel. vestra. Deinde si decretum hoc vrgeri debeat iuste, iniuste vrgetur periurium: vel enim prius iudicatum est. 22. Aprilis quando negotia nostra finita esse dicebantur, sociusq; meus (me adhuc in Collegio detento, ne mutuo in longissimo itinere solatio essemus) dimittebatur, & tunc hoc secundum iudicium non valet, vel reuocatum est 21. Aprilis satis tempore mandatum, quod datum erat D. Acrisio, & iniuste exactum iuramentum magis iniuste seruari iuberetur. Tandem non satis miror quomodo decretum hoc in iudicatum transijsse asseratur, a quo, dum currerent dies appellationis, appellatum est: Dum enim decretum hoc nullã infligit pænam, nisi fiant quæ in eo prohibentur, aut non fiant, quæ mandantur, sub conditione latum videtur. Quamuis autem aliæ sententiæ

Decisio antiqua rotæ 443. Pan. cap. Sententia de sententi. numero 20. Felinus ibidẽ numero 16.

sententiæ siue absolute, siue sub conditione latæ fuerint in rem iudicatam transeant, nisi in decendio ab illis appelletur, [a] sententia tamen excommunicationis, suspensionis, vel interdicti lata sub conditione suspenditur, si ante conditionis euentum fuerit appellatum, ita vt sine scrupulo sic excommunicatus, & appellans ante impletam conditionem (vt verbis [b] Nauarri vtar) cõmunicare possit etiam ea impleta: Hoc tenent [c] Inno. [d] Hosti. [e] Gemin. [f] S. Antonin. [g] Couerru. [h] Siluest. [i] Angel. [k] Nauar & alij quam plurimi ab horũ aliquibus citati, & est (vt nouit Cel. vestra) opinio communis & a doctissimis viris recepta. Et si ista sic se non haberent, [l] a sententia inferente grauamen successivũ, & quotidie nouiter offendens appellari potest etiam hodie, licet iam diu sit elapsum decendiũ, dummodo appelletur a grauamine hodierno non a preteritis, & condemnatus non fecerit antea actum denotantem sententiam videri iustam.

Quis autem dubitet quin defectus eorũ, quę ad vitam sustentandã necessaria sunt grauamen sit quotidie nouiter offendens, & quod nullus actus poterit sententiam donotare videri iustam, qua quis iubetur exulare, & relegari absq; eo quod ad vitam sustentandam necessaria suppeditentur.

Magis admiror quod addit Cel. vestra constitutionem illam, ac ordinationem ex S^mi D.N. scientia, & participatione emanasse vobis tantũ interpretibus, ac iudicibus ab eo delegatis. Si ex scientia vestra emanasse illam ordinationẽ negarẽ coram deo (vt novit C.V.) de crimine non arguerer: & quomodo [m] cũ non deceat eos, qui diuino ministerio ascripti sunt

a. cap. præterea 2 de appellationibus. et glossa ibidem.
b. In manuali cap. 27. numero 273.
c. In caput præterea 2. de appell.
d. de sententia numero 3.
e. cap. non solum de appell. in 6 & in cap. cum medicinalis de sentẽtia excõmunicat. § caueant.
f. parte 3 tit. 24. cap. 74.
g. in cap. Alma mater parte prima relationis § 10 numero 4.
h. excõmunicatio 2 & excom. 10 § 2.
i. Appellatio § 1 & suspẽsio § 2
k. vbi supra & in cap. cũ contingat de rescriptis causa 14.
l. Fel. in cap. quod ad consult. de sentẽt. excõclusione 9.
m. Concilium Tridentinum sess. 21. in decreto de reformatione. cap. 1

cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidū aliquē queſtum exercere, de ſanctiſſimo Pontifice atq; clementiſſimo patre ſine grauiſſimo peccato, & maxima ipſius iniuria ſuſpicari poſſum, quod conſtitutio illa ex eius ſcientia, & cū participatione cōtra presbyterū emanauerit, qui in eius dioceſi conſecratus eſt & de ſcientia pontificis & cum participatione vt ita dicam ex altare ſuſtentandus, cui ſecundum profeſſionē ſuam ſolemni confirmatā iuramento in Anglia his perſecutionū temporibus ſeruire debuit. Quamuis enim pium, ac licitum per ſe eſſet iubere, vt Sacerdos aliquis a miſſione Anglicana ad tēpus abſtineat ne maiores ex profectione diſcordiæ oriantur, neq; exiliū, aut relegatio iure dici poſſet: iubere tamen ſub grauiſsima pæna, vt Sacerdos aliquis patriam ſuam non preſumat adire, ſed in certa prouincia viuat abſq; eo quod ad vitam ſuſtentandā neceſſaria ipſi ſuppeditētur, qui propter dei maiorē gloriā, & Eccleſię Catholicæ propagationē a iuuentute ſua reliquis omnibus poſthabitis in eo ſe poſuit ſtatu, vt ijs egeat, quę ex ſola miſsione Anglicana ipſi, & ſui ſimilibus ad vitæ ſuſtentationem veniunt, non ſolum a pietate alienum videtur, & impoſsibile illi qui ſine alimento quiete viuere, & non potius miſere mori iubetur, ſed & exilium, & relegatio ſine iniuria dici poteſt, atq; grauamen eo minus tolerabile, quo magis ieiuna eſt ſuſpicio ex qua in veſtris literis ordinatio iſta emanaſſe pretenditur. Nouit enim C.V. pacem nos queſiviſſe, & poſt presbyterorum in Anglia ad obediendū Eccleſię & S^mi ordinationibus legittime propoſitis animos paratiſsimos pacem nos ibidem procuraſſe ad

quam

quam ſtabiliendam quomodo illud deeſſe iudicari deberet, vt Romæ afflictis maior vſq; ad mortem, vel miniſterij Sacerdotalis dedecus alibi afflictio adderetur, & pacis procuratoribus pax, quæ cæteris conceſſa erat, denegaretur, fateor me nõ intellexiſſe: quemadmodum neq; qua ratione tantum interpretes dicamini, quibus cauſa noſtra a S.mo eſt commiſſa, & qui ſic decernendum, atq; ſtatuendũ duxiſtis, & veſtro nomine quid executioni mandandum eſſet, ſignificari iuſſiſtis, vt in literis veſtris videre eſt, quas miſiſtis ad rectorem, vel vicerectorem Collegij anglorũ de vrbe 21. Aprilis. 1599. ſi tamen aliquas miſiſtis, videntur enim in ipſo Collegio ſcriptæ, quamuis ex ædibus veſtris datæ dicantur, nulla enim de aliquo Collegio premiſſa mentione in iſto Collegio nos detentos fuiſſe aſſerunt, & poſt multos dies erumpentes e latebris, quibus in cubiculo P. Parſoni ſe occultaſſent, mihi prius, deinde poſt aliquot alios dies ſocio meo aforis venienti datæ ſunt legendæ.

Hominis eſt Ill.mo errare, & ego homo cum ſim ſi humanum quid a me alienum exiſtimarem indignus plane eſſem qui homo dicerer. De nullo tamen conuictum crimine paſſum & pati quod patior quocumq; nomine placuerit illud appellare nouit Cel. V. coram vobis enim ſolis & Ill.mo Card. Caiet. bo. me. accuſandi comparuimus quo tempore audiuimus nihil in nobis inuentum aliud pæna dignum, quam quod aliqui in Anglia ex hoc noſtro recurſu ad Chriſti vicarium in Eccleſię Catholicæ negotijs agendis ſcandalum accepiſſent. Sed & mandatum accipientes non ignaui ab Illmo Card. Caet. per literas

ad ipsos datas 10. Nouembris. 1598. vt inquirerent de vita, & moribus eorum qui dicebantur contra Archipresbyterum se opponere aduersariorum nostrorum spem fefellerunt, qua se multoties recreare solebant mecum constantissime, & confidentissime respõdente, quod si conscius alicuius criminis fuissem, Romæ me non vidissent. Non est ergo quod verear ne religiosissimus princeps quicquã mihi exprobret, aut ita dissimulem, quæ Romæ gesta sunt, vt grauissimæ pęnę singulis momentis sui causam interroganti respondeam contra animam meam, & in caput meũ mentiar de vllo vnquã conuictum me crimine eam passum.

Consilium vestrum, quod dicitis in sententia atq; ordinatione predicta ab Ill.mo Card. Caiet. & a Cel. V. prescriptum esse, Romęque a nobis promissum, aç receptum, vt quiete, pacifice, ac religiose vinamus libentissime hic amplector, curaboq; modis omnibus, quibus possum vt pax, vnioque illa omnis conseruetur, quæ in veritate, & animi candore firmissimum, atque solidissimũ habet fundamentũ, neque aliud ex testimonio superioris nostri, qui in Anglia est constare poterit, si literę eius recte exaratę fuerint. Controuersiæ quidem sunt in Anglia, quę longe ante ingressum meũ ortæ sunt, & si crastino die insulam egrederer, nihilo citius finirentur. Si consiliũ vestrum sequutus locũ repeterem, quẽ reliqui, argumentum facerẽ quod, vel communi modo caream sensu, vel antea grauamen illud simularẽ, propter quod illum coactus fui relinquere. Et proinde, vt nihil de alijs vitę meę periculis dicã si iter illuc arriperem, non video

quomodo

quomodo inde iustius, aut cui cordato gratius causam meam agerem, quam manens in Anglia, vbi censurarum ecclesiasticarũ contemptum, vt videtur Cel. V. supponere, non exerceo, pro quo predictæ militant rationes, suadentque nec censuras Ecclesiæ fungendo officio meo, nec grauiorem pijssimi patris offensionem manendo in patria me incurrere. Addere etiam liceat, quod nemo ad impossibile teneatur, quod certe falleret, si Presbyteri, qui alivnde non habent, quam ex altare, quo viuant, altari seruire prohiberentur. Si autem Romam proficiscì in causa Ecclesiæ, eoque (vobis testibus) animo, vt in omnibus S.mi iudicio stare paratus fuerim inexpiabile sit peccatum, quod tamen mortẽ nimis crudelem non meretur, prouideat hic mihi S.mus vnde viuam, & officium seruiendi altari magis dignis relinquam. *Cap. Apostolica de cle, excommunicato.*

Vestra vero industria Illme quam erga nostrates amor ille promouebit, qui ex afflictorũ commiseratione in optimis principibus gignitur, futurum spero aliquando vt verbis suis respõdeant facta, & pax Angliæ antea restituatur, quam alijs modis attentetur, aut ex iniquis informationibns innocẽtes magis opprimantur, dum in turbationis authores castigationis exemplum ẽdi pretenditur. Ego quidem adhuc sustineo, sileo, & quantum absque prẽiudicio causæ meæ possum, humilime supplico, vt pristino restituar statui, quod si obtinuero, rem multo magis alijs, ita tamen mihi gratam facietis, vt loco maximi beneficij illud habiturus sim, quantaque mihi, & alijs Cel. V. fecerit vbiq; predicaturus. Literas quidem vestras

pluribus, vt cupitis adhuc non communicaui, quia mutato fortassis consilio Cel. V. a se divulgari illas maluit, nihil enim in illis contentum est, quod non ante per omnium volitabat ora, quam mihi tradentur. Deus veræ pacis autor, & conseruator illam nobis concedat, & Cel. V. Angliæ suæ conseruet incolumem. Londini in Anglia. 4. Nouembris. 1600. stilo veteri.

Cel. dinis *Vestra.*

Obseruatissimus.

Robertus Charnocus
Presbyter Anglus.

HAbetis Ill.mi & R.mi viri primordia, progressiones, & incrementa dissidiorum, quæ hanc Christi sponsam, sponsiq; filios perquam fædè laniarunt: habetis miseriarum nostrarum adumbratam quandam formam, quarum viuam imaginem cernere, verosq; aculeos cognoscere neminem posse credimus, nisi qui vel illam oculis vsurpet, vel horum punctiones intimis medullis fixas persentiscat: Sedis Apostolicæ beneficia nobis erepta sunt, illa in nostra iniuria despecta est, Ecclesiasticæ Hierarchiæ forma apud nos inuersa est, authoritas ad voluntatis, non æquitatis normam exercita, cuius pretextu adeo in Sacerdotes, sanctosque Christi confessores, ac vinctos in domino sæuitum est, vt in diuinæ Ma.tis læsæ reos, & in Ecclesiæ perduelles magis sęuiri non potuerit. Plurimi ex ijs qui pondus diei atque æstus portauerunt in medio vineæ domini modo otiosi stant, quia ijs, quæ in ea excolenda ipsis vsui essent, a conducentis vices fungente priuantur, vel denuntiantur saltem priuati; alios enim Euangeliũ prohibet populo Christiano prædicare, alios suspendit, & omnibus priuat facultatibus, quibus animas Christo lucrari solebant, alios interdicit, vel interdictos a se declarat qui in literis subdelegationis suæ nullam accepit interdicendi potestatem. Nec solum ad huiusmodi pęnas authoritatem suam extendit, sed personas etiam, quæ post appellationem suam sub protectione S.mi sunt, occasionem ex eo sumit puniendi, quod appellationi S.mo exhibendæ suffragia sua dederint.

Prohibuerat quidem sub pęna suspensionis, atque amissionis omnium facultatum, ne quis suffragia dan- 18. Octob. 1600.

da ambiret, vel daret ſcripto, vel verbo ad quamcũq; cauſam cum ipſo aut duobus aſſiſtentibus prius non communicatam, cuius edicti pænas cum incurriſſe denunciauerit eos omnes, qui nomina appellationi S^mo exhibendæ dederunt, veſtrum erit Ill^mi atq; R^mi iudicium, vtrum pænas illas incurrerit ipſe, quæ ſtatuta vel edicta contra Eccleſiaſticam libertatem facientibus & obſeruari mandantibus imponuntur. Sed neque in eos ſolum qui ab ipſo ad ſedem Apoſtolicam appellauerunt authoritatẽ ſuam poſt appellationem factam exercet, ſed in alijs alibi actis ſe iudicem facit. Cum enim alter fratrum noſtrorum (qui nobis pace reſtituta iuſſu Ill^morum Cardinalium Caiet. & Burgheſij exvlabat, nec habebat quo ſe ſuſtentaret, ab iſto grauamine appellare coactus eſſet, & teſtimonio doctiſſimi atque integerrimi viri (qui poſt carceres in Anglia pro fide Catholica in exilium pulſus eſt, & modo ob ſingularem eius pietatem atq; eruditionem in ſummo eſt apud Lothariungos honore, Legationiſque Lotharingicæ cancellariatu merito donatus) & legitime appellaſſe, & ſine inobedientia aut cenſurarum contemptu virtute illius appellationis redijſſe ad ſuos probaſſet, D. Archipresbyter quãprimum literas illas teſtimoniales legiſſet, & inobedientem & cenſuras incurriſſe denuntiauit. Et ne ob nullam ipſi datam cauſam in negotio ad aliud forum omniño pertinente nihil addere videretur, ex ſua authoritate annullauit, atque abrogauit omnes eius facultates a quocunq; ſiue quandocunq; ipſi conceſſas, nec ab iniquiſſima iſta denuntiatione appellationi ad ſedem Apoſtolicã interpoſitę deferre voluit. Veſtrũ item ſit iudicium Ill^mi atque Reuerendiſſimi vtrum occaſionem diſturbandi Presbyteros quærat. Cum enim

28. *Nouemb.* 1600.

D. *Arthu. pit.*

15. *Iunij.* 1600.

enim ad queſtiones quaſdam ex ipſius mandato reſpondens quidam a ſciſmatis crimine nos purgaſſet, infructuoſam eſſe arborem, indignam plane qui locum occuparet, ac in preiudicium fidei illum ſcripſiſſe publicauit, effecitque per literas, vt nec ordinarius eius confeſſarius eum abſoluere nec Catholici in ſacris cum illo communicare auderent.

Ieſuitæ tandem, & Archipresbyter Eleemoſinas, quę per vniuerſum regnum in incarceratorum ſuſtẽtationem, & alios pios vſus a fidelibus erogantur, in ſuas prius manus deportandas curant, quam in egenos diſtribuantur, Eę autem ad carceres mittuntur cũ mandato, vt illi Sacerdotes, qui ab eis non ſtant, earũ non fiant participes, hoc vt videtur conſilio, vt incarcerati aut fame ſibi perevndum, aut Archipresbytero ad libitum in omnibus parendum intelligant.

Cum igitur pietas, ac æquitas vobis maximè ſint cordi, ad pedes veſtros Ill^mi & R^mi confugimus, veſtram opem, & auxilium implorantes, vt iniurias prohibeatis, ac innocẽtiã tueamini. Si ſontes inueniamur, plectite; ſi inſontes, priſtino quę ſumus [redacted] ſtatui reſtituite. Nolite pati nos Eccleſiæ filios pro eiuſdẽ fide ac defẽſione ad ſanguinẽ vſq; decertantes, fruſtra a vobis auxilium petere; veſtra pijſſima opera pacem quouis pretio recuperemus, quam his diſſidijs non ſine maximo noſtro, & Eccleſiæ noſtræ damno amiſimus. Perſanctè vobis affirmamus, quod, niſi a veſtro illo Tribunali ſpes aliqua nobis affulſiſſet, dudũ perpetuis miſeriarũ, ac triſtitię tenebris obruti fuiſſemus. Nos autem continuas preces diuinę bonitati pro ſalute, & incolumitate veſtra offerre non ceſſabimus.

FINIS.

Page.	Line.	Errata.	
9	1	preſentum	præſentium
24	18	diſſiplina	diſciplina
28	15	ſtndeat	ſtudeat
29	24	trantiſper	tantiſper
32	28	iniquiſſuni	iniquiſſimi
34	20	procurandum	procurandam
38	24	nolim	nolim
	29	perlatum	perlatam
39	23	quam	quæ
40	20	Chriſtus	epiſcopus
43	26	Cipriany	Ciprianus
44	6	Celorum	Cælorum;
	31	abſolunt	abſoluunt
46	22	eerum	eorum
51	27	eccleſiaſtris	eccleſiaſticis
53	21	facultatem	facultatum
54	23	hæc	hac
	24	habeunt	habeant
55	24	litteres	literas.
57	25	initum	initium
58	27	maue	inane
60	24	Canteritas	cauteriatas
62	22	geminæ	genuinæ
64	3	contrarium	contrariam
70	23	dent	dant
74	28	exquirennus	exquirendus
	27	quam expoſitione	hanc expoſitionem
	31	cum	eam
	33	eruditione	eruditionem
77	2	deſtignatæ	deſignatæ
	26	ſilentio	ſilentio
	30		eum eſſent facile
78	32	cantelam	cautelam
79	6	ex Anglia,	ex Anglia
81	7	dcrinebat	dcrinebat
	28	illos	illas
84	24	ſame	ſanè
95	marg.	relationis	relectionis